



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Consilia Seu Responsa Juris**

**Schmalzgrueber, Franz**

**Augusta Vindelicorum & Ratisbonae, MDCCXL**

Cons. XXXV. & XXXVI. Postliminii. Discutitur Causa jam pridem per Typos  
nota circa Præposituram Stainheimensem, quam Monasterium  
Reichenbacense quasi Jure Postliminii, Episcipi verò Augustani ex ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72287](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72287)

fuerit, verè jurare poterunt, nullum tale Impedimentum inter ipsos existerè.

AD QUÆSTIONEM 3. Consultum proinde erit, si petatur à Reverendissimo Ordinario Augustano licentia à Parocho vel pro se, vel pro Domino Decano suo Rurali imponendi Complicibus hoc Juramentum: quæ gratia omnino in Casu præsentis sperari potest. Debebit autem Libellus supplex ita formari. *Sunt in mea Parochia Titius, & Sempronia ob diuturnam, & notam publicè scandalosam inter se conversationem valde suspecti de adulterino consortio, cum uterque Complex fuerit conjugatus. Adulterium, factò ipso perpetratum, ritè probari non potest. Vult nunc Titius, de præsentis Viduus, transire ad secunda Vota, & ducere Tulliam Sempronia filiam. Ad vitandum scandalum, quod ex Contractu hoc sequeretur in populo, necesse videtur imponi ipsis Juramentum Purgatorium. Ne proinde continetur hoc scandalum, à Reveren-*

*dissima, & Illustrissima Dominatione sua supplico pro licentia, ut mihi, vel Domino Decano meo liceat imponere hoc Juramentum; periculum enim est, ne, si citarentur ad Reverendissimum Consistorium, augeatur suspicio, de ipsis concepta, qua multum diminuetur, si post Juramentum ita depositum liceat mihi Matrimonio Titii cum Tullia assistere, præmissis Denuntiationibus. De Dispensatione, à S. Pœnitentiaria pro foro interno impetratà, non est consultum facere in Libello mentionem; nam ex hoc ipso Curia Episcopalis veniret in suspicionem commissi actualiter Adulterii, & difficilior fieret datio licentiæ. Accedit, quia Dispensationes, in S. Pœnitentiaria impetratæ, non possunt in foro externo ostendi, sed statim post executionem datam Dispensationem, sub pœna Excommunicationis latæ Sententiæ lacerari debent à Confessario, cui à S. Pœnitentiaria data est potestas dispensandi.*

## CONSILIUM XXXV.

## In Causa Bonorum postliminio revocatorum.

## SUMMARIUM.

1. *seqq.* Facti Species.
7. Rationes dubitandi, num in Causa præsentis Judex Laicus sit competens.
8. Persona Ecclesiastica etiam in Possessorio non potest trahi ad Judicem Laicum:
9. Neque Laicus in Causa spirituali, si immixta sit quæstio Juris:
10. Ne quidem ob continentiam causa, si hæc sit propriè, & ex objecto suo spiritualis.
11. In Causa præsentis Reus est Persona Ecclesiastica: agitur potiùs Petitorio, quàm Possessorio, & deciso pendet ex valore Brevis Pontificii.
12. Hinc Judici seculari non competit causa præsentis cognitio.
13. Respondetur ad rationes dubitandi.
14. 15. 16. Ecclesia Augustana nec voluit, nec potuit in se prorogare Jurisdictionem fori secularis: quia Persona conventa est Ecclesia, & ipsa causa spiritualis.
17. 18. 19. Nec litem est contestata, quia adiecit Protestationem, ut actor remittatur ad forum competens.
20. *seqq.* Si agnoscendus esset Judex Laicus, male præterita fuit prima instantia.
23. Data sunt quidem aliquando Reversales, vi quarum promissa erat restitutio Decimarum Quæstionis:
24. 25. Sed illa per Breve Pontificium subsecutum sublata sunt; nam posteriora derogant prioribus.
26. 27. In Petitorio Decimarum solus Judex Ecclesiasticus fundatam habet Jurisdictionem:
28. Secluso Privilegio Apostolico, & nisi Decima facta sint Laicales.
29. Hinc in Causa præsentis quoad petitoriam solus Judex Ecclesiasticus potest cognoscere.
30. Non Archi-Episcopus:
31. Consequenter solus Romanus Pontifex.
32. 33. Causa proprietatis & possessionis coram eodem Judice tractari debet:
34. Nisi litigantes sint fori diversi, aut Judex non competens respectu utriusque.
35. 36. Querela nullitatis 30. annis extinguatur:
37. Licet opponatur per modum exceptionis.
38. & *seqq.* Indultum Pontificium non esse vitiosè impetratum, ostenditur, solutis rationibus dubitandi.
45. Potest Pontifex mutare Jura Ecclesiarum.
46. Vitiata una parte rescripti, non hoc ipso vitiantur cætera.
47. Decima Quæstionis possunt præsumi fuisse omnes feudales.
48. Gratia non vitiatur, si non subsistat causa impulsiva, modo subsistat motiva & principalis.
49. Pretia rerum æstimanda sunt pro tempore, pro quo fit contractus.
50. Error nominis non vitiat gratiam.
52. *seqq.* Jus ad Decimas, quod Monasterium stante Breve Pontificio prætendit, eliditur solutione Argumentorum.

58. Rescripta gratia quocunque tempore presentari possunt.
59. Concessio censetur conformis supplicationi.
62. Confirmatio in forma speciali aequivalet nova concessioni.
64. Mensa Episcopalis vi Brevis Apostolici Juris sibi vindicat universos proventus Præposituræ Steinhaimensis.
65. seqq. Ex variis remediis ad sistendam executionem sententia, in hac causa videtur eligendum remedium Restitutionis in integrum:
77. Cui tamen præferendum Remedium Revisionis, si in Consilio Imperiali Aulico habeat effectum suspensivum.
78. Comoda hujus Revisionis, seu Supplicationis ad Casaream Majestatem.
79. seqq. Effectus suspensivus illi tribuitur.
85. Quamvis aliqui solum effectum devolutivum concedant.
86. Revisio in Judicio Aulico Casareo, idem ac Supplicatio ad Casarem.
89. Hac saltem circa Causas spirituales habebit effectum suspensivum, etiam in Possessorio.
90. Præfens causa solum in Possessorio decisa est: in Peritorio enim pertinet ad forum Ecclesiasticum.

NB. Numeri passim occurrentes denotant Literas & Instrumenta, quæ hanc causam concernunt, & typis vulgata prostant.

**I**N Causa Præposituræ olim sitæ in Pago Stainheim ditionis Neoburgicæ, quam Celsissimus Henricus à Knöringen Episcopus Augustanus glor. mem. 1631. Mensæ Episcopali Autoritate Pontificia incorporari fecit, nunc verò Reverendissimus Dominus Abbas Reichenbacensis post restitutum Monasterium, ad quod Præpositura ista antiquitus pertinebat, sibi iterum vindicare contendit, ex Actis Facultati nostræ Juridicæ communicatis eruitur sequens

### FACTI SPECIES.

I.



**A**Nte Lutheri tempora, & inductum ab isto diffiduum in Religione Monasterium Reichenbach Ordinis S. Benedicti Diocesis Ratisbonensis, situm in Palatinatu Superiore, possidebat in Pago Stainheim Ducatus Neoburgici non procul Dilingâ Præposituram sic appellatam, cujus proventus præter alios Reditus, & Censuum annuos consistebant in Decimis, quæ ex Agro hoc colliguntur. Pars aliqua istarum Decimarum Frickianæ (der Stricken Zehend) dicebantur, ad discrimen cæterarum, quæ sub nomine desß Groß Zehend, und Berg Zehenden veniebant. Et Frickianæ quidem in Feudum accipi solebant semper ab Episcopo Augustano, tanquam Domino illarum directo, quod Feudum etiam post Antecessores suos recognovit Abbas Stephanus, qui per Joannem Schiltenberger Anno 1537. ab Episcopo Christophoro se in hoc Feudo investiri fecit. N. 4. Exemplum istius, & Antecessorum Abbatum etiam illi, qui post expulsos ex eo Monasterio Religiosos, & Reditus ejusdem ab Electore Palatino Friderico usurpatos, & nomine istius Electoris Monasterium hoc administrarunt, prout ex plurimis Reverfalibus Literis patet, secuti sunt usque ad Annum 1614. ubi Investituram in isto Feudo nomine Ludovici Cammerarii, cui prædictus Elector Monasterii memorati administrationem commi-

ferat, ab Episcopo Augustano petiit Joannes Weichenmayr Consul Civitatis Höchstadianæ. N. 5. Has Decimas Frickianas Monasterium integras, & semper colligebat, nec partem de istis habebat Episcopus Augustanus: de cæteris Decimis, & Proventibus istius Præposituræ inter hunc, & Monasterium sic constitutum est, ut iisdem tribus annis continuis Monasterium fruere- tur integrè, quarto autem semper Anno eas acciperet Episcopus. N. 7.

Post exutum omnibus Ditionibus suis Fridericum Palatinum ob invasionem Coronæ Bohemicæ, communis cum hoc Banni Imperialis poena omnes ei adhærentes, & inter istos etiam memoratum Ludovicum Cammerarium affecit, sicque iste Feudum ex capite Feloniæ perdidit, & ipsum ad Dominum Directum Episcopum Augustanum rediit, qui tum erat Celsissimus Henricus supra Laudatus. Et verò cogitabat iste Feudum hoc, tanquam jam liberum, Ecclesiæ suæ vindicare. N. 8. Sed quia potentes tunc adhuc A Catholicis erant, hanc suam intentionem ad finem nequivit perducere, ob bellicos tumultus postea in Germania occasione Sectæ Lutheranæ ortos. His A Catholicorum conatibus à Principibus Catholicis opposita est Liga, ut appellabant, Catholica, in qua constituenda inter primos fuit idem Henricus, nullis sumptibus, & expensis parcens; nam ad eam componendam, & continuandam ab Anno 1609. ad Annum 1623. plus quam undecies centena millia florenorum pro suo in Religionem Orthodoxam insigni Zelo expendit. Unde factum, ut exhausto per tantos sumptus Aërario, & multo ære alieno contracto, depauperata Ecclesia Augustana, medium nullum persistendi in Liga prædicta, & ejus onera ferendi sciret, nisi eidem de Bonis Ecclesiasticis, quæ ex Heterodoxorum manibus Armorum ope erepta sunt, promptum auxilium subministraretur. Exposuit ergo hanc suam necessitatem Henricus Episcopus tam apud Sedem Apostolicam, quam apud Casaream Majestatem N. 9. & tandem admi-  
tente

tente per intercessionem suam Ferdinando II. Imperatore, & Maximiliano I. Electore Bavarie N. 13. in aliquale solatium ab Urbano VIII. Bulla edita 3. Maji. 1625. obtinuit potestatem ad 10. Annos fruendi proventibus Monasterii Reichenbacensis ante memorati. N. 15.

3.

Sed Bulla ista desideratum effectum sortita non est; quia medio tempore ipse Augustissimus beneficio Dispensationis Apostolicae obtinuit facultatem ad aliquod tempus fruendi Bonis Ecclesiasticis in Palatinatu Superiore sitis, quo lapsa tempore, eadem fruitio ad tres alios annos Cæsareæ Majestati à Pontifice prorogata est. Quare ne interea Celsissimus Henricus cum Ecclesia sua careret solatio tantarum Expensarum suarum, eò tandem preces suas apud Augustissimum ille direxit, ut ex redivitis Monasterii Reichenbacensis ipsi interea, donec frui posset beneficio Bullæ præallegatæ, saltem darentur percipiendæ Decimæ Stainheimenses, quippe quæ in Diocesi ejus non procul Dilingâ distant, saltem eò usque, dum à Regularibus iterum incoleretur Monasterium. N. 18. Condescendit enim verò S. C. Majestas 7. Jan. 1627. istis precibus, & Celsissimo concessit facultatem percipiendi proventus Stainheimenses ad dictum Monasterium pertinentes, sed Jure administratorio tantum, & eo usque, dum Monasterium restitueretur in Statum pristinum, & rursus poneretur in eo Regulares N. 19. cui Conditioni etiam Celsissimus sub eodem dato subscripsit, traditis Augustissimo per Legatum suum Reverabilibus Literis. N. 20. Interim idem Celsissimus spem retinuit, lapsa tempore, quod pro fruitione Monasterii ipsius concessum est Augustissimo, gaudendi ejus redivitis, saltem ad decennium juxta Bullam prædictam.

4.

Hæc verò spes ubi post concessum Serenissimo Maximiliano, tum Duci Bavarie, postea Electori, Palatinatum cum Jure ad 12. Annos percipiendi fructus Ecclesiasticos omnino evanuit, idem Celsissimus interposita intercessione Laudati Serenissimi Electoris, à Sede Pontificia petiit, ut Decimæ, & alia Emolumenta Præposituræ Stainheimensis, quæ, uti dictum, ad Monasterium Reichenbacense pertinebant, in perpetuum incorporarentur Mensæ Episcopali. N. 23. Præter merita sua in defensionem Religionis Orthodoxæ, & inde contractam ab Ecclesia sua paupertatem, quam Causam Celsissimus, utpote jam ex repetitis anterioribus Literis notam, apud Sanctissimum in Supplicatione hac sua ultima non repetiit, ut Causam impulsivam addidit, quod eadem Decimæ quondam etiam ad Ecclesiam Augustanam spectaverint, & ante plurimos Annos certis personis secularibus sub certa spe futuræ devolutionis titulo feudali concessæ fuerint, postmodum verò

ab his in Monasterium Reichenbacense, uti ad manum mortuam, contra naturam concessionum Feudalium sine Solennitatibus requisitis per inadvertentiam translata, in quarum etiam exigendarum, & percipiendarum quasi possessione idem Celsissimus Jure ipso devolutionis post exactos Religiosos, & Monasterium ab A Catholicis occupatum extiterit. Ex his Causis Pontifex Urbanus VIII. propositis sibi precibus annuit, & Brevi 15. Jun. 1631. edito dictæ Decimæ cum reliquis Emolumentis omnibus, quæ ratione Præposituræ Stainheimensis ad dictum Monasterium pertinebant, Mensæ Episcopali perpetuo unitæ, incorporatæ, & confirmatæ sunt. N. 31. Verba Brevis Apostolici sunt ista.

*Ad futuram rei memoriam. Nuper pro parte Venerabilis Fratris Episcopi Augustani Provincia Moguntina nobis expositum fuit, quod olim ab Episcopis Augustanis ejus Prædecessoribus tres Decimarum partes in pago de Steinheim Augustana Diocesis Provincia Moguntina, ad Mensam Episcopalem Augustanam dictæ Provincia legitime spectantes, nonnullis personis secularibus Diocesis, & Provincia prædictarum in feudum concessa fuerunt, cum pacto, ut post certum tempus dictæ partes Decimarum ad dictam Mensam, & non alios reverterentur, postmodum verò partes Decimarum hujusmodi per inadvertentiam ad Monasterium de Reichenbach Ordinis S. Benedicti Diocesis, & Provincia prædictarum, quod diu ab Hæreticis occupatum fuit, tanquam ad manum mortuam, absque debitis solennitatibus perventa, ad Mensam Episcopalem prædictam de Jure, ac feudali titulo devolutæ sunt. Cum autem Nos nuper supplicationibus dilecti Filii Nobilis Viri Maximiliani Bavarie Ducis S. R. I. Principis Electoris Nobis humiliter porrectis inclinati, dictum Monasterium novissime de manibus Hæreticorum recuperatum, suppressis in eo prius Ordine ipso, omnique statu, & essentia Regularibus, Presbyteris Societatis Jesu pro erectione unius Collegii sub certis modo, & forma tunc expressis concesserimus. Et sicut eadem expositio subjungebat, dictus Episcopus cupiat, jus antiquum, quod dicta Mensa Episcopalis super dictis partibus Decimarum, unâ cum aliis emolumentis, licet valde exiguis ad summam centum, & sexaginta circiter Ducatorum Hungaricorum annuatim ascendentibus, & in qua, & quas exigendi, & percipiendi quasi possessione idem Episcopus existit, habet, per Nos eidem Mensæ confirmari. Nos dictum Episcopum specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & à quibusvis Excommunicationis, Suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & penis à Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus illius nomine Nobis, super hoc humiliter porrectis, inclinati, Jus prædictum, quod dicta Mensa*  
Episcopi

Episcopalis super dictis partibus Decimarum ad dictam Mensam spectantibus, ut praefertur, habet, una cum aliis emolumentis supradictis eadem Mensa Episcopali Apostolica auctoritate, tenore praesentium, confirmamus. Decernentes praesentes literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, ac dicta Mensa Episcopali plenissime suffragari, sicque per quoscunque Judices Ordinarios, Delegatos, etiam Caesarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & diffiniri debere: ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus praemissis, ceterisque in contrarium factis quibuscunque. Datum Roma apud Sanctam Mariam Majorem, sub annulo Piscatoris, die 15. Junij 1631.

5. Restitutus in Monasterium Reichenbacense Religiosis Ordinis S. Benedicti, locò eorum primò restitutionem Praepositurae Steinheimensis, & proventuum ad hanc pertinentium apud Celsissimum Episcopum Augustanum Anno 1664. petiit Abbas Coelestinus ad S. Emmeramum Ratisbonae. N. 43. & eam ab isto imploratus etiam urisit Serenissimus Ferdinandus Maria Elector Bavariae; N. 44. sed ambo de Incorporatione perpetua per Sedem Apostolicam concessa edocti, absque ulteriori contradictione acquieverunt. N. 45. Neque ab eo tempore Mensa Episcopalis in re ista turbata est, donec Anno 1708. hodiernus Abbas Reichenbacensis Bonaventura negotium hoc ad Judicium Imperiale Aulicum deduxit, & instantiam pro restitutione suo Monasterio faciendam repetiit, unice innixus Reveralibus à Celsissimo Henrico 1627. datis, silentio autem praeterita Bulla Incorporationis perpetuae postea concessa Anno 1631. N. 49. In quo negotio idem Dominus Actor etiam effecit, ut antequam super hoc audiretur Pars conventa, eodem Anno 1708. 18. Sept. per Rescriptum Caesareum injungeretur restitutio Praepositurae Quaestionis. N. 50.

6. Hinc pro necessaria sua defensione coram eodem Judicio Aulico Ecclesia Augustana opposuit Exceptionem, in qua primum docuit de legitimo jure vi Incorporationis Pontificiae ex parte sua acquisito, ex parte verò Monasterii per eandem Incorporationem sublato antiquo titulo, ac dein petiit, ut Actori perpetuum posthac indiceretur silentium, si verò ille litigandi ulterius haberet prurium, ipse ad suum Forum competens, nempe ad Sedem Pontificiam remitteretur. N. 51. Sicque tacite saltem opposita est Exceptio Fori declinatoria cum protestatione de non contestanda lite. Protestatio haec adversus forum Laicale postea expressè facta est in Duplica ob Spiritualitatem causae, & praecipue, quòd etiam ipse Augustissimus Ferdinandus II. pro impetranda Incorporatione Monasterii Reichenbacensis, intercessionem suam interposuerit Romae. N. 13. sicque negaverit tacite, causam istam ad se spectare. Sed

aliter res evenit; nam cum ex parte Serenissimi Episcopi opposita Triplice Reichenbacensi esset Quadruplica, ubi repetita iterum est Exceptio Fori Declinatoria, & expectaretur, ac speraretur, rem istam remittendam ad Curiam Pontificiam, nuperrimè à Laudato Consilio Aulico emanavit Sententia, qua Serenissimus Monasterio Reichenbacensi jubetur restituere Praeposituram in Steinheim cum omnibus pertinentiis, & fructibus ab Anno 1708. perceptis, duorum mensium termino assignato pro partitione Sententiae. N. 52. Qua Specie Facti posita

### QUÆRITUR I.

Utrum in Causa ista Jurisdictio Judicii Imperialis Aulici fundata sit?

Videtur satis fundata esse. Nam I. hic non Petitorio, sed Possessorio duntaxat Judicio, nempe querelando super detentione, & usurpatione proventuum Praepositurae Steinheimensis, contra Jus, & proprios Reverales extensa, agitur, & quaeritur, utrum Mensa Episcopalis contra tenorem Concessionis Imperatoriae, & proprios Reverales, quibus expressè addita est Conditio, ut Praepositura haec cum pertinentiis, restituito Religiosis suis Monasterio Reichenbacensi, eidem redderetur N. 20. diutius hac frui possit: quòd ipsa Conclusio Libelli ab Actore oblati, ex qua colligi debet, quo genere actionis agatur, indicat; petitur enim in ista, Mensam Episcopalem in id condemnari, ut bonorum istorum possessio tamdiu continuata cedatur cum omni causa, eaque utpote in Dotem Monasterio data, restituantur in Statum pristinum. N. 49. Atqui quando agitur in Possessorio, etsi causa Origine tenus, & per se sit Spiritualis, Judex Laicus non est incompetentis; quia Possessio rei Spiritualis nihil involvit Spirituale, cum in tali Casu agatur de mero Facto, quòd per se solum est aliquid temporale: estque communis DD. inter quos assertionem istam expressè defendunt

Guid. Pap. decis. 1. n. 149. Zabarell. in Clem. dispendiosam. num. 7. de Judic. Bald. in l. si de proprietate. n. 15. C. si non Compet. Judic. Boer. decis. 60. num. 23.

Ut proin nulla sit causa, ob quam in Casu praesenti Jurisdictio Imperiali Consilio Aulico negari, & ad alium Judicem controversia deferri debeat. Et hoc praecipue 2. Quia in Casu praesenti agitur Possessorio Retinenda, vel Recuperanda Possessionis; licet enim facile fateantur AA. quòd ubi instituitur Judicium adipiscenda Possessionis in Causa aliis Spiritualis, id pertineat ad Judicem Ecclesiasticum, tamen in Casu, quo agitur Possessorio Retinenda, & Recupe-

randae,

randæ, volunt cognoscere posse etiam Judicem Laicum: estque doctrina ista conformis Praxi Camerae Imperialis, ubi in ejusmodi Causis Spiritualibus passim Citationes decerni, & Appellationes recipi solent, teste

Gaillio l. 1. obs. 38. num. 2. & 4. cum ibi citr.

Neque speciale in isto aliquid habent Causæ Decimarum; nam 3. Per Præjudicia ostendi potest, prout re ipsa ostendit

Rosenthal de feud. c. 12. concl. 3. n. 33. quòd apud eandem Cameram Imperialem tota die procedatur in Possessorio Decimarum. Habet autem non minorem Jurisdictionem Judicium Excelsum Aulicum, quàm Camera. Ergo sicut ista, ita & illud fundatam in Casu præsentis Jurisdictionem habet. Accedit 4. Quia hic de Gratia Imperatoria sub certa Conditione, per Reversales à Celsissimo Henrico approbata, controvertitur: atqui hujusmodi Gratia, Indulta, Concessionis, Privilegia, & Beneficia Imperatoria à Foro alieno non solum non Judicaturam, sed ne interpretationem quidem recipiunt. 5. In præsentis Lis est de Caducitate Feudi, sub cujus nomine Monasterium Reichenbacense certas Decimas ab Ecclesia Augustana accepit. Atqui quando inter Ducēs, Marchiones, & Comites Imperii Lis est super Feudo, Judex competens est Imperator.

L. 2. feud. tit. 34. princ. Et l. 1. tit. 18. princ. Ordin. Cam. p. 2. tit. 7.

Ergo hujus, & Judicii Imperialis Aulici Jurisdictionem Ecclesia Augustana recusare non potest, & hoc maxime, quia 6. In Exceptione sua, quam Querelæ Reichenbacensi Viennæ oppoluit, plura de meritis Causæ attulit, neque expressè excepit adversus Forum, aut protestata est, se absque animo litigandi hac attulisse: sicque Litem tacite videtur contestata, & in se prorogasse Jurisdictionem Excelsi Judicii Imperialis Aulici.

Verum his non obstantibus,

DICENDUM, Judicii Imperialis Aulici Jurisdictionem in Causa præsentis non esse fundatam, sed ab Ecclesia Augustana adversus illud ad Judicem Ecclesiasticum meritò fuisse provocatum; licet enim, ut dictum est, communis doctrina sit, quòd in Possessorio de Causis Spiritualibus cognoscere etiam Judex Laicus possit, tamen ista non indistinctè capienda est, & imprimis attendendum ad qualitatem Personæ Rei conventi; nam si iste sit Persona Ecclesiastica, satis unanimes inter Catholicos DD. Sententia est, hujusmodi Reum in Causa Spiritualis, & ubi non de rebus Politicis, vel Imperio subjectis, sed Ecclesiasticis agitur, etiam cum Possessorio solum Judicio de his contenditur, coram Judice Laico conveniri non posse, prout cum torrente Catholicorum DD. notat, & docet

R. P. Schmalzgrueber Consil. Tom. 1.

Illust. D. Baro Schmid *Semicent.* 2. *Contr.* 25, & 26. Item ad *Statuta Bavariae tit.* 28. *Art.* 17.

Ubi Sententiam istam adeò certam esse existimat, ut audeat affirmare, Hæreticum esse, qui dicit, Clericum in Possessorio conventum Judicio sæculari subjacere, cum omne Judicium, quod attingit Personam Ecclesiasticam, reservatum sit Tribunali Sacro

per tradita *cap. qualiter.* 17. de *Judiciis.* C. si diligenter. 12. de *for. Compet. Auth.* statuimus. C. de *Episc. & Cleric. cum concordant.*

Deinde si Reus conventus etiam sit Laicus, aliàs subjectus Judicio sæculari, & hic in Causa Decimarum, vel alia Spiritualis conveniatur Possessorio, iterum Communis Catholicorum Doctrina est, quòd tum sit videndum, an solum moveatur quæstio facti, vel etiam admixta sit aliqua quæstio Juris; nam si quæstio facti tantum in Controversiam cadat, utrum v. g. aliquis Decimas percipiat, solvat, vel solverit &c. concedunt, hanc Causam esse mixti Fori, ac proinde de illa cognosci etiam à Judice sæculari posse: secus est, si immixta sit quæstio Juris; tum enim ajunt, cognitionem hujusmodi Causæ ad solum Judicem Ecclesiasticum pertinere. Ita cum plurimis aliis

Covar. *Pract.* qq. c. 35. n. 1. Laym. l. 4. tr. 9. c. 2. n. 11. Pirhing. ad *libr.* 2. *Decret.* tit. 12. n. 18. Schambog. *ibid.* n. 9. & 10.

Neque dubium circa hoc moveri potest in casu, quando quæstio Juris admixta æquè principaliter agitur, & sic Possessorium cum Petitorio tractatur simultaneè; nam tunc Judicium Possessorium pro temporali re aliqua haberi non debet, quippe quod Cognitioni de re spirituali annexum est, prout fatetur

Syringius *Behend = Recht.* c. 9. §. 14. num. 6.

licet aliàs, tanquam A catholicus, Judicibus sæcularibus in hujusmodi causis plus æquo tribuat.

Controversia inter DD. est solum, quando Juris quæstio ad Forum Ecclesiasticum spectans in Judicium Possessorium, vel aliud Fori Laicalis duntaxat incidit; tum enim cum aliis

Illust. D. Baro Schmid. *Contr.* 25. cit. n. 12. Et *Contr.* 27. n. 5.

putat adhuc expediri posse in Foro sæculari totum negotium. Quod concedendum est, quando Causa hujusmodi incidens per accidens solum, v. g. ratione partis litigantis, vel personarum possidentium Ecclesiastica est, prout fit, quando Clericus agit contra Laicum coram Judice sæculari, & incidit quæstio de solvendis ab Actore expensis, vel quando Reus à Clerico conventus excipit, quòd Actor sit suus filius, & consequenter conveniri ab ipso de Jure non possit; nam de hujusmodi Causis incidentibus,

M m

tibus,

9.

10.

8.  
Rationes  
Decidendi.

tibus, quia ex objecto, & natura sua profana sunt, Judex Laicus, apud quem Causa principalis est instituta, potest cognoscere. Secus est, quando Causa incidens est propria, & ex objecto suo Spiritualis; tunc enim si ex hujusmodi decisione quaestio principalis pendeat, Judex saecularis non debet prius cognoscere de Causa principali, aut illam definire, quam quaestio illa incidens à Judice Ecclesiastico decisa sit. Colligitur manifestè ex

*C. Lator. §. c. Causant. 7. qui filii sint legit. & præcipue ex c. tuam. 3. de Ordin. Cognit.*

Ubi Regina Cyprì petebat Hæreditatem Campaniæ, tanquam proxima Consanguinea mortui Comitissæ, & cum ipsi objectus fuisset defectus Natalium, quod Matrimonium parentum illius invalidum fuerit ob impedimentum dirimens, Pontifex Honorius III. rescripsit ad Philippum Regem Galliarum, ut si forte dicta Regina pro successione in memorato Comitatu coram ipso quaestionem proponeret, eandem ipse non audiret, nec cognosceret, donec quaestio Natalium, ex qua Causa Successionis pendeat, à se fuerit terminata. Causa decisionis est, quia in hoc Casu quaestio Natalium, utpote pendens à legitimitate Matrimonii, Spiritualis erat. Ex qua proinde in decisione Pontificis plerique DD. Catholici Argumentum ducunt ad omnes alias Causas ex objecto suo Spirituales, vel Ecclesiasticas, & universim dicunt, quòd Judex saecularis, si in Causa principali, de qua cognoscit, causa ejusmodi Spiritualis, & Ecclesiastica incidat, cognoscere de illa non possit, sed expectare decisionem Judicis Ecclesiastici debeat, & deinde Causam principalem prosecui, cui doctrinæ, licet Catholicæ, consentiunt

*Struv. ad ff. Exerc. 9. thes. 57. Müller. ad eund. lit. 8.*

Ratio est manifesta; quia Judex Laicus respectu Causæ propriè Spiritualis non solum incompetens est, sed etiam incapax vel Jure Divino, ut quidam volunt, vel Ecclesiastico saltem, ut alii, sed fundato in ratione perpetua, ut proinde incapacitatem hanc incidentia non possit tollere.

## II.

Ex his probata manet Responsio ad præsentem Quaestionem. Nam 1. In Casu præfati Reus conventus est Persona Ecclesiastica, nempe ipse Serenissimus Princeps, & Episcopus Augustanus. Igitur trahi ad Tribunal quodcumque Laicale nequit, obstante Privilegio personali, quo personæ Ecclesiasticæ Ecclesiasticum duntaxat sortiuntur Forum, juxta ea, quæ dicta sunt supra, & notant omnes melioris notæ DD. 2. Actor hic magis Petitorio, quam Possessorio videtur contendere; allegavit enim expressè titulum suæ possessionis antiquioris, nempe quòd ex Decimæ, & proventus Præposituræ Stainheimensis Monasterio Reichenbaccensi datæ sint in Dotem, & Fundationem,

idque fecit sine ulla protestatione, aut simili æquivalenti Reservatione. Est autem indubitati Juris, quòd si Actor titulum suæ possessionis allegat sine solenni protestatione, quæ declaret, se illa, quæ de titulo adduxit, eo solum sine, & animo adduxisse, ut inde Judex videat qualitatem, & Justitiam possessionis, quam Practici allegationem pro colorando Possessorio appellant, ille magis Petitorio, quam Possessorio experiri dicitur; quia nimirum allegatio illius tituli jam ingreditur Conclusionem Libelli, & tangit proprietatem.

*Mynsing. Cent. 6. Obs. 93. Hartman. Pistor. p. 1. q. 45. n. 12. Stryck. Introd. ad prax. for. c. 1. §. 26. Et tract. de Investig. act. sect. 2. memb. 2. §. 32. item Uf. modern. Pandect. de Interdict. §. 4. fn.*

3. Etsi concederetur, solum Possessorio agi ab Actore, saltem Exceptione, per Serenissimum Episcopum Augustanum opposita, quaestio Juris Possessorio immiscetur; cum enim hic duo concurrant, qui velint sibi possessionem Decimarum, & reliquorum proventuum competere, & unus quidem contendat, quòd per Incorporationem Auctoritate Pontificia sibi factam Jus Adversarii sit extinctum, & ad se translatum, atque adeò quaeratur, cui ipsorum de Jure possessio competat, non potest antiquiori possessio adjudicari, nisi decidatur, vel præsumatur, recentioris possessionem esse injustam; hoc verò decidi, vel præsumi nequit, nisi prius cognoscatur de valore Bullæ Pontificiæ, quæ Incorporatio facta est; de valore autem Bullæ Pontificiæ cognoscere non ad Judicem Laicum, sed ad Ecclesiasticum, solumque Pontificem spectat. Igitur necesse erit, interea in Foro Laico suspendi Cognitionem de Possessorio, usque dum à Pontifice feratur Sententia super valore, & viribus Bullæ Incorporationis, ex qua unice pendet, an possessio, quam Mensa Episcopalis respectu Decimarum istarum, & reliquorum proventuum annexorum habet, iusta, & legitima sit, vel non sit. Confirmatur Argumentum istud ex doctrina Menochii, qui

*Vol. 3. Conf. 268. n. 3. & seqq.*

docet, in Casu, quo Reus conventus super Decimis Spiritualibus coram Judice Laico, ut eas solvat, excipit se non teneri, quia v. g. est privilegiatus, vel quia tenetur eas solvere alteri; quam ipsi Actori petenti, aut quia denique dicit, se ita convenisse cum Superiore, ne solvat &c. quaestionem esse de Jure, & Judicium proprietatis, seu Petitorium appellari; quia disceptatur de Jure ipso Decimæ, an scilicet eam teneatur præstare: consequenter tali Casu Judicem Laicum non posse cognoscere, licet Reus conventus coram ipso non opposuerit Exceptionem declinatoriam ante Litis Contestationem, neque sit protestatus, quòd Judex Laicus in tali

tali causa sit Judex incompetens. Casus iste omnino similis est præsentis; sicut enim in illo excipitur de Privilegio &c. quo elisa dicitur obligatio petendi Decimas, ita in præsentis excipitur de Jure colligendi Decimas per Incorporationem obtento, & hoc contenditur elisa possessio fruendi illis in Actore. Sicut ergo in Casu Menochii ex hujus Sententia propter Exceptionem oppositam, quæ si probetur, Jus Actoris enervat, remitti cognitio Causæ debet ad Judicem Ecclesiasticum, ita etiam remitti ad istum debet cognitio ob Exceptionem Incorporationis à Mensa Episcopali oppositam; nam etiam per istam, si legitime probetur, eliditur intentio Monasterii Reichenbacensis.

12.

In Compendium contra Argumenta hætenus deducta, & additis quibusdam aliis ea confirmo. Dico igitur, Jurisdictionem in hac Causa, prout re ipsa proposita illa est hætenus, Judicio Imperiali Aulico nullam competere; malè item egiisse Actorem, quòd ad Tribunal istud in Causa hac provocaverit, & incidisse in poenam, quæ statuta est

*L. in Criminali. §. C. de Jurisd. omn. Jud.*

Ut scilicet Actor, qui reum trahit ad forum incompetens, Actionem suam, & Causam perdat; idque 1. Quia in præsentis Casu Incompetentia adest tam ex parte rei conventi, quippe qui est Persona Ecclesiastica; quam ex parte Objecti, cum in ea agatur de Re Spirituali, nempe de Jure Patronatus, Decimarum, aliorumque proventuum Ecclesiasticorum, qui Mensa Episcopali Augustanæ Apostolica Authoritate legitime uniti prætenduntur. 2. In hac Causa non agitur præcisè Possessorio, sed huic mixtum est Petitorium ob Allegationem tituli, & Exceptionem Incorporationis Pontificiæ, quæ Jus prioris possessionis, nempe Monasterii Reichenbacensis extinctum sit. 3. In hoc ipso Casu circa Causam principalem procedi nequit Judicio possessorio, & antiquo possessori adjudicari possessio, nisi constet de vitio possessionis recentioris, quam modo habet Mensa Episcopalis Augustana. De vitio autem isto constare non potest, antequam examinetur valor Bullæ, & Incorporationis per eam factæ. 4. Si valeat Bulla ista, & Incorporatio per illam facta, hoc ipso cessavit in Actore omne Jus etiam meræ possessionis, nec potest ista justè huic adjudicari, nisi Bulla hæc, & Incorporatio retractetur, quod nemo præter ipsum Pontificem potest; nam ejus est Privilegium, aut Legem tollere, qui illud concessit, vel istam condidit: & Sedis Apostolicæ judicium à nemine est retractandum.

*Can. patet. 10. Caus. 9. q. 3.*

5. Suspicionem invaliditatis istius Bullæ, & inde consequentis vitiosæ possessionis sufficienter purgat diuturnitas temporis, quippe cum Mensa Episcopalis jam ultra 80. Annos

*R. P. Schmalzgrueber Consil. Tom. I.*

fit in possessione, vel quasi Proventuum Præposituræ controversæ. 6. Ipse Imperator Ferdinandus II. videtur Forum Romæ in Causa hac agnovisse, & quævisse, dum repetitis Intercessionibus apud duos Pontifices Gregorium XV. & Urbanum VIII. sollicitavit Incorporationem perpetuam ipsius Monasterii Reichenbacensis in favorem Mensæ Episcopalis Augustanæ. N. 13.

Argumenta Num. 7. allata pro Actore speciem quidem veri habent, sed sollicitius considerata efficacia nequaquam sunt. *Ad 1.* Patet ex dictis Num. 11. quòd in præsentis non sit Judicium merè Possessorium, sed mixtum cum Petitorio; quia agitur de justificatione tituli possessionis, quam Mensa Episcopalis ex Incorporatione obtinuit, absque cujus admissione, vel rejectione possessio isti non potest adimi, vel confirmari. Quando autem super titulo Decimarum, vel alterius Rei Spiritualis possessæ Cognitio instituitur, id solum pertinet ad Judicem Ecclesiasticum, ut cum omnibus melioris notæ DD. sentiunt

*Covar. pract. qq. c. 35. n. 1. Menoch. Consil. 268. cir. n. 16.*

Neque obstat, quòd aliàs spoliatus ante omnia restitui debeat, neque audiatur Possessor Recentior, si velit justificare titulum possessionis suæ; nam hoc intelligi debet, quando Possessor novus est ipse Spoliator: secus est, si ille sit aliquis tertius, ad quem Res ablata bona fide, & titulo justo pervenit; nam hic, quando titulum possessionis suæ allegat, & ad hunc probandum se offert, audiri debet, nec antea compelli potest, ut restituat. Ratio est, quia quòd ante omnia spoliatus restitui debeat, est poena spoliationis factæ, quæ proinde cessat in tertio, qui non spoliavit, sed rem accepit justo titulo, & bona fide eandem possidet. Talis Possessor est Mensa Episcopalis; nam spoliatio facta est à Principe A Catholicis, quando iste expulsi Religiosis, sibi Monasterii Jura per injuriam vindicavit: possessio autem ad Mensam Episcopalem Authoritate Apostolica, adeoque justo titulo, tum pervenit, quando nullus spoliatus apparuit, nec in rerum natura amplius fuit. *Ad 2.* Discrimen in hoc Casu inter Judicium adipiscendæ, & recuperandæ Possessionis non est fundatum; nam in adipiscendæ Judicio ideo cognitio ad Judicem Ecclesiasticum pertinet, quia ut possessio adjudicetur Actori, necesse habet, ut titulum ostendat, consequenter, quia habet Judicium istud admixtam Quæstionem Juris. Igitur quando similiter Judicium recuperandæ hujusmodi Quæstionem Juris admixtam habet, similiter cognitio ad Judicem Ecclesiasticum spectabit; nam ut ostensum est, quotiescunque Quæstio Juris in materia Spirituali admixta est, toties Judex competens est solus Ecclesiasticus. *Ad 3.* Præjudicia illa admitti possunt, quando agitur Possessorio tantum: secus, quando admixta est

M m 2

Quæ-

13.  
Responso-  
nes ad Ar-  
gumenta  
oppositas



Quaestio Juris; tunc enim, ut ostensum est, cognitio ad Judicem Ecclesiasticum etiam in Possessorio Decimarum pertinet. *Ad 4.* Conditio illa, in Imperatorio Indulto adjecta, per Incorporationem perpetuam à Pontifice factam sublata est, quod omnino potuit Pontifex, quippe qui supremam, & Universalem, eamque plenissimam administrationem Bonorum Ecclesiasticorum habet: adeoque in Casu praesenti non agitur amplius de Indulto Imperatorio, sed de valore Bullae, & Incorporationis per eam factae, quam examinare, interpretari, & tollere aequè parùm Judex alius, quam Pontifex potest, quam parùm examinare, & tollere Indulta Imperatoria potest alius, quam Imperator. *Ad 5.* Id intelligendum est de Feudo Laicali, & constituto in Bonis Imperatori subiectis; fecus est de Feudo constituto in Bonis Ecclesiasticis, nullo modo subiectis Imperatori, quales sunt Decimae Ecclesiasticae; nam in talibus Feudis Imperator se non immiscet, cum ipsa Bona à Jurisdictione ipsius exempta sint. *Ad 6.* Argumentum hoc tangit id, quod examinandum est Quaestione sequenti, qua

## QUAERITUR II.

*Utrum post Exceptionem, à Serenissimo Querela Reichenbacensi oppositam, & proposita ibi aliqua de meritis Causa sine protestatione adversus Forum, & de non animo litigandi, censeatur Serenissimus Jurisdictionem Judicii Imperialis Aulici in se prorogasse, adeo, ut postea non amplius utiliter opponi potuerit provocatio ad Forum competens?*

14.  
Rationes  
Dubitandi.

Videtur, Jurisdictionem Judicii Imperialis Aulici in se prorogasse, ut adeo ab ipso ad aliud Forum competens provocandi potestatem sibi ademerit, nec amplius integrum sit Exceptionem Fori declinatoriam opponere, postquam sine hac responsum est ad Querelam Actoris. Nam 1. Exceptiones Dilatoriae opponi debent initio Litis, & ante Contestationem illius, ut cum communi docent

Marant. *de Ord. Jud. p. 6. membr. 9. n. 7.*  
Hiltrop. *Process. Jud. p. 2. tit. 12. n. 62.*  
Wesenbec. *ff. de Except. n. 7.* & sumitur ex *c. inter Monasterium. 20. de Sent. & Re judic.*

Quod maxime verum est de iis Exceptionibus Dilatoriis, quae sunt Fori Declinatoriae, & Judicis personam respiciunt, quod ille dicatur esse incompetens; nam 2. Exceptiones Fori Declinatoriae ante omnem Actum Judicialem opponi debent, ut notat

Vallens. *de Except. n. 7.* Engl. *tit. eod. n. 2.* König. *ibid. n. 15.* cum aliis, & patet ex *l. fin. C. de Except. l. nemo. 4. C. de Jurisd. omni. Judic.*

Alias Reus in talem Judicem consentire videtur, ut proinde eundem reculare non amplius possit juxta Regulam, quod semel placuit, amplius displicere non potest, quae est

*Reg. 21. in 6.*

Imò 3. Si is, qui alias Forum declinare posset, Exceptionem Fori Declinatoriam in principio Litis non opponit, sed ad non suum Judicem vocatus, audientiam ejus eligit, & ad Libellum Actoris contra se oblatum respondet, opponendo illi Exceptionem Dilatoriam, hoc ipso censetur Litem in eo Judicio contestatus.

Gloss. *in C. fin. V. facta. de lit. contest. in 6. Abb. in c. un. x. eod. n. 18.* Pirh. *ad tit. cit. n. 20.*

Ratio est, quia talis Responso, licet Exceptionem aliquam contineat, continet tamen etiam Contradictionem animo litigandi, dum Reus excipiendo se obligat ad Exceptionem suam probandam. Atqui explorati, ac triti Juris est, quod Jurisdictio Judicis alieni, & alias incompetentis censeatur prorogata tacite, quando quis ad Judicem non suum vocatus, coram eo, omnia Fori praescriptione, Litem est contestatus, ita quidem, ut deinde protestatio adversus Forum non sit audienda, & omni Exceptioni Fori Declinatoriae precludatur aditus.

*L. sed & si suscept. 52. princ. ff. de Judic. l. nemo. 4. C. de Jurisd. Marant. de Ord. Judic. p. 6. tit. de Except. n. 1. & 4. Donell. l. 17. Comment. c. 10. Lauterbach ff. de Jurisdic. §. 30. Hahn. ibid. V. prorogata. Struv. ad ff. Exec. 4. th. 59. Müller. ibid. thes. cit. Lit. 2.* Accedit 4. Quia jam olim Celsissimus Henricus Forum Viennense in Causa ista per hoc videtur agnovisse, quod pro Decimis his obtinendis apud Imperatorem Ferdinandum II. Instantiam fecit, N. 19. Sicque falsus est, Augustissimum disponere de illis posse: quod similiter factum est in praesenti Lite, dum Procurator Serenissimi coram Judicio Aulico statum Litis cum omnibus circumstantiis, & qualitatibus absque protestatione Fori exposuit, & Manutentionem in Bonis Quaestionis absque alia reservatione de meliori petiit, quod fieri non oportebat, si placuisset perseverare in Foro hoc recusando. 5. Denique Decimae istae, & inter istas ipsae etiam Frickianae per lapsum temporis immemorialis jam diu antea in eo Statu sunt positae, ut Mensa Episcopalis nullam amplius prerogativam, aut Jus formare super iisdem possit: & licet super iis à Celsissimo Henrico impetratum sit Breve Apostolicum, tamen id ex eo tempore est impetratum, quo Monasterium Reichenbacense extra statum defensionis fuit, ut adeo Summus Pontifex per sinistras preces ad eorum alienationem nec licite, nec valide induci potuerit. Sed

DICENDUM, non posse dici, quod Ecclesia Augustana proponendo ea, quae merita Causae attingunt, Jurisdictionem Judicii Imper-

Imperialis Aulici in se prorogaverit: nam in primis non voluit eam sic prorogare, cum in Exceptione sua, quam Libello Actoris opposuit, expressè addiderit Clausulam, ut ille, si prurium ulterius litigandi haberet, ad Judicem competentem, id est, Summum Pontificem remitteretur. N. 51. Deinde si voluisset sic prorogare in se Jurisdictionem Judicii Aulici, non potuisset; nam universim Clerici prohibentur prorogare in se Jurisdictionem Judicis secularis, seque ei submittere.

Gloss. *fin. in c. significasti. 18. de foro compet. Abb. ibid. num. 25. Covar. pract. qq. c. 31. & 33. Bellarm. 1. de Cleric. num. 28. Anton. Faber. in Rationab. ad l. 31. ff. de Pact. Marta de Jurisdic. p. 2. c. 6. num. 40. & seqq. Barbof. in l. 1. art. 3. n. 173. ff. de Judic. Oliva For. Eccles. p. 3. q. 14. num. 88. & constat ex c. si diligenti. 12. de for. compet.*

Rationem dat Gloss. *cit.* quia Privilegium Exemptionis à Foro seculari datum est non singulis, sed toti Statui Clericali, cui proin privatorum pactis renuntiari non potest. Quod etsi Juris-Consulti A Catholicis plerique negent, quando Causa est Civilis; tamen id fatentur, quando Causa est Ecclesiastica: nam ad hanc prorogari non posse Jurisdictionem secularis Judicis, constans etiam apud ipsos est opinio. Et hinc etiam juxta ipsos in terris Augustanæ Confectionis, in quibus Causæ Matrimoniales in Consistoriis tractantur, ad has Jurisdictiones secularis etiam à personis Laicis prorogari nequit.

Videantur Bocer. *de Jurisdic. c. 7. n. 29. fin. Carpov. Jurispr. Consist. l. 2. defn. 223. & l. 3. defn. 27. Müller. ad Struv. Exerc. 4. th. 59. Lit. e.*

Verfatur autem præsens Controversia non tantum inter personas Ecclesiasticas, sed etiam in Materia Ecclesiastica, nempe Decimarum, Jurispatronatus &c. & de hac quidem, ut ad *Quaest. prac.* ostensum est, agitur non tantum in Possessorio mero, sed mixto cum Petitorio: in quo Casu nullum est dubium, quòd Cognitio ad Judicem Ecclesiasticum spectet, ut tum Jurium, tum Doctorum allegatione firmat

Gaill. l. 1. obs. 38. n. 1. qui n. 5. addit, quòd etiam in Possessorio cujusque rei regulariter Clericus coram Judice Ecclesiastico conveniri debeat.

Igitur tam Catholicorum, quam A Catholicorum DD. consensu in præsentis talis est Controversia, in qua prorogatio ad Judicem seculari etiam à volente fieri nequit. Consequenter Mensæ Episcopali non obest, etsi à principio Exceptionem Fori Declinatoriam omisisset opponere.

Neque obstant Argumenta Num. 14. opposita. Ad 1. In primis negatur, quòd ex parte Ecclesiæ Augustanæ Lis unquam fuerit contestata, prout ostendetur ad *Quaest. seq.*

Deinde etsi Contestatio Litis fuisset facta, Principium illud, quòd Exceptiones Dilatoriae ante Litis Contestationem opponi debeant, non est perpetuum, sed plures Exceptiones patitur, prout passim ostendunt DD. & Utriusque Juris Interpretes. Ad 2. Etsi Exceptio Fori Declinatoria secundum veriorum doctrinam Dilatoriarum numero accenseatur, tamen illa etiam post Litem contestatam quandocunque, imò in ipsa Executione opponi potest.

*L. ex diverso. 17. §. fin. ff. solut. Matrim. & post Felinum & alios advertant Nata tom. 2. Cons. 413. num. 3. Hiltrop. Process. Judic. p. 2. tit. 12. n. 88.*

Quod maxime verum est in Exceptione Incompetentiæ; nam defectus iste dicitur major omnibus. Ad 3. Ut Jurisdictio Judicis aliàs incompetentis prorogari possit, præter alia requiritur, ut Jurisdictio, quæ per prorogationem extenditur, sit similis, si ve ejusdem Speciei, & ad Causæ Cognitionem sufficiens: consequenter si Causa sit Spiritusalis, requiritur, ut Judex, cujus Jurisdictio prorogatur, habeat Jurisdictionem Spirituales; si Causa sit criminalis, opus est, ut Judex non tantum procedere possit in Causis Civilibus, sed etiam in Criminalibus.

*Abb. in c. 12. de for. compet. num. 14. Clar. §. fin. q. 42. num. 2. Marant. de Ord. Judic. p. 4. dist. 12. n. 18. Oliva p. 3. for. Eccl. q. 14. n. 70. Pirh. tit. de for. compet. num. 185. Wiestner ibid. num. 205.*

Aliàs non esset prorogatio, sed nova Collatio Jurisdictionis, quam partes dare non possunt. Ad 4. Potuit Celsissimus Henricus ab Imperatore Ferdinando II. petere tum temporis istas Decimas, quin Forum ipsius agnosceret tanquam competens circa istud objectum; nam jam antea vi Bullæ Pontificiæ habebat Jus ad integros proventus Monasterii Reichenbacensis pro Decennio, N. 15, quod Jus cum deinde datum fuit Augustissimo, nihil impediit, quin tractare cum isto posset pro parte proventuum istorum obtinenda; nam quivis privatus Jus sibi specialiter datum cedere alteri potest: neque cessio hæc fuit contra mentem Pontificis, quippe de quo constabat, quòd omni meliore modo indigentiam Ecclesiæ Augustanæ sublevare voluerit. Ea verò, quæ dein in Exceptione ex parte ejusdem Ecclesiæ circa merita Causæ opposita sunt, in eum præcisè finem sunt opposita, ut Augustissimus de Statu Controversiæ instructus, Actori audientiam denegaret, quòd peti potest etiam à non competente Judice. Ad 5. Non apparet, in qua parte Decimarum saltem Frickianarum Status fuerit immutatus, quippe quæ usque ad ultimum Possessorem Ludovicum Cammerarium semper manserunt feudales, utpote pro quibus iste Investituræ renovationem à Celsissimo Henrico petiit. Quòd

M m 3

verò

16.  
Responso  
ad Argu-  
menta op-  
posita

verò Celsissimus Incorporationem perpetuam reddituum Stainheimensium à Pontifice petierit, Jure suo petiit, & ipse Pontifex, tanquam Supremus Bonorum Ecclesiasticorum Administrator, Jure suo eos concessit, nisi velis contendere, omnes hujusmodi Concessionem & Translationes Bonorum Ecclesiasticorum à Pontificibus factas, fuisse invalidas, quòd non extiterint Religiosi, qui pro iis in Monasterio suo conservandis contenderent: quòd controvertere, & in dubium revocare injuriosum nimis Sedi Apostolicæ foret, quippe quæ hoc modo de injuria Monasteriis, & Ordinibus Religiosis, ad quos Monasteria hæc pertinebant, ab ipso facta argueretur.

### QUÆRITUR III.

*Utrum eo ipso Lis contestata dici possit, quòd in Exceptione, qua responsum est Libello Actoris, merita Causa concomitanter adducta sint, ut adeò non amplius liceat à Judicio Imperiali Aulico recedere?*

17.  
Rationes  
Dubitandi.

Videtur, quòd Lis in prima statim Exceptione fuerit contestata, ut adeò (qui est effectus Contestationis Litis) jam tum sibi Ecclesia Augustana præcluserit viam opponendi Exceptionem Declinatoriam Fori, & alias Dilatorias; nam hodie Contestatio Litis facta censetur, quando Actor intentionem proponit, & Reus animo Litem contestandi ad illam contradicendo respondet.

*L. un. C. de lit. Contest. l. rem non novam.*

*14. §. patroni. l. C. de Judic.*

& animus Litem contestandi præsumitur ex contradictione ad intentionem principalem Actoris.

*Ordin. Camer. p. 3. tit. 13. §. und nachdem. Mollenbec. ad ff. de Judic. fol. 252.*

Nec desunt in præsentis Casu Conjecturæ, ex quibus animus iste præsumi merito possit. Nam 1. In prima statim Responsione ad Libellum Actoris Ecclesia Augustana inficiata est intentionem Actoris, adducendo titulum possessionis suæ, eumque probando ex Brevis Apostolico, quo agebat Proventus controvertos incorporatos esse Mensæ Episcopali. Atqui Litis Contestatio inducitur per unius Affirmationem, & alterius negationem. 2. Ibidem, & in sequentibus etiam suis Responsionibus excipiendo plura opposuit, merita Causæ attinentia, quæ non fuisset necesse adducere, si voluisset in Exceptione Fori declinatoria tantum persistere, & Judicio se non submittere; nam triptum apud Jctos est Axioma, quòd Reus excipiendo fiat Actor, & Actor replicando constituitur Reus, ex quibus proinde dum unus directè affirmat, alter contradicit, formalissimè habetur Contestatio Litis. 3. In

eadem Exceptione prima ex parte Ecclesiæ Cathedralis contra Actorem supplicatum est pro mantenentia in Bonis Quæstionis, & petita ab Imperiali Consilio Aulico absolutio ab impetitione Actoris, & Cassatio Rescripti Imperialis Anno 1708. emanati: quòd indubium videtur signum esse, quòd Forum Viennense in prima Exceptione memorata sit agnitum.

Verùm his non obstantibus, responderetur negativè. Nam in primis Ecclesia Augustana coram Judicio Imperiali Aulico Litem contestari non potuit, quippe cujus Jurisdictionem per deducta superius ad Quæst. præc. in se quoad Causam istam prorogare non potuit. Deinde si potuisset coram hoc Litem contestari, non voluit coram illo hanc contestari; quia in sæpe dicta Exceptione expressa in fine adjecta est Clausula, & petium, ut si Actor ulterius litigandi prurium habeat, ad Forum competens is remittatur N. § 1. quæ Clausula sicut expressam protestationem Fori in sese continet, ita Mensæ Episcopalis Jura sufficienter salvavit, eò quòd protestatio Jus protestantis conservet, per vulgaria. Similis protestatio in sequentibus Responsis ad Replicam, & Triplicam Actoris semper, & clarioribus etiam terminis expressè adjecta est, adeò, ut dici non possit sub ullo veritatis colore, quòd Serenissimus respondendo Jurisdictionem Laicalem quoad istam Causam unquam expressè, vel etiam tacite agnoverit.

Neque Contrarium evincunt Argumenta opposita. Ad 1. Patet ex Textibus Juris communis, & maxime Recessu Imperii de Anno 1654. §. und hat der Beslagte. 40. quòd citra Litis Contestationem ad Quæram Actoris responderi possit, quin ita Respondens in Litem se intromittat, aut in Jurisdictionem Judicis incompetentis consentiat; cum enim Litis Contestatio non dependeat à voluntate Judicis, sed ab intentione, & facto partium, non censetur per hoc Lis contestata, quando quis Libello respondet animo Litem non contestandi. Unde cum dicitur, quòd animus Litigandi præsumatur ex Contradictione ad intentionem principalem Actoris, id intelligendum est, quando de intentione contraria non litigandi non habentur fortiora indicia. Talia autem habentur in Causa præsentis ex Clausula Exceptioni adjecta, & protestatione Fori semper, & in omnibus Responsis repetita. Ad 2. Quæ de meritis causæ in Exceptione, & aliis Scripturis adducta sunt, non in eum finem adducta sunt, quasi Serenissimus voluerit per hoc Litem contestari, & Jurisdictionem Judicii Imperialis Aulici in se prorogare, quippe quòd ob qualitatem Causæ, & Personæ suæ, ut dictum est supra, non potuit; sed id factum est eo fine, ut Actor, proposita sibi improbabilitate Actionis tam frivole intentatæ, in ea prosequenda non ulterius pergat, & se, atque Ecclesiam Augustanam



fic, cum de facto partim Lege, partim Conventione publica Jus primæ Instantiæ concessum sit inferioribus Imperii Statibus, Causa hæc potius remittenda sit ad memoratum Neoburgense Judicium, controverti potest: & pro negativa militare videtur, quod Principes Imperii Privilegium habeant, quod non nisi coram Austregis conveniri possint.

Vult. in l. 1. C. ubi Senat. vel Clariss. Vtri. n. 43. & seqq. Zanger. de Except. p. 2. c. 1. Carpzov. l. 5. resp. 117. num. 11.

Sed rectiori Judicio videtur tenenda affirmativa; nam generale principium est, quod Forum fortiatu Reus, ubi res sita est, de cujus possessione, vel proprietate agitur, etiam si nec domicilium ibi habeat, nec ibi contraxerit, vel deliquerit, neque etiam ibi reperiatu.

Tot. tit. C. ubi in rem actio. l. un. C. ubi de possess. l. un. C. ubi de hered. Struv. ad ff. Exerc. 9. th. 49. Hahn. ad ff. tit. de Judic. n. 16. post medium §. 4. fortiatu forum.

Ratio est, quia in actione reali non tam persona, quam res in Judicium adduci censetur, ut proinde rei potius, quæ petitur, & ratione cujus possessor Jurisdictioni illius Judicis subjicitur, quam personæ illius habeatur ratio.

Struv. loc. cit.

Hinc nihil interest, cujus Conditionis sit Reus: nam etiam Superior coram inferiore, sub cujus Jurisdictione res sita est, conveniri potest.

Gaill. l. 1. obs. 37. n. 4. Zanger. de Except. p. 2. c. 1. n. 59. Müller. ad Struv. thes. 49. cit. lit. 7. Mollenbec. ff. de Judic. fol. 257.

Quod confirmatur à pari; nam licet, quando Immediatus in proprio Territorio delictum perpetravit, solus Imperator Judex sit, ita ut ne Camera quidem cum Imperatore concurrat,

Vult. ad l. 1. C. ubi Senat. Müller. th. cit. lit. 4.

Si tamen in Territorio alieno deliquit, tunc coram Domino Loci est accusandus.

Ruland. de Commissar. l. 2. c. 3. num. 6. Müller. loc. cit.

Atqui forum rei sitæ, & forum delicti pari passu ambulant. Igitur si per inconcessum Causa præfens cognosci, & definiri posset à Judice seculari, videtur illa potius remittenda ad Judicium Aulicum Neoburgense, ne Jus primæ instantiæ, quod Lege, & Conventione publica inferioribus Imperii Statibus concessum est, adimatur.

*Utrum Reversales Literæ Anno 1627. à Celsissimo Henrico prius data N. 20. etiam stringant Bullam Pontificiam postea impetratam, qua Decima, qua ad Præposituram Stainheimensem olim spectabant, cum pertinentiis Mensæ Episcopali incorporata sunt?*  
N. 31.

Videtur, quod ita; Nam 1. In his Reversalibus Celsissimus se obligavit ad memoratam Præposituram, & ejus Emolumenta quamprimum dimittenda, ubi Monasterium Reichenbacense Religiosi iterum incoluerint. Conditio autem ista modò impleta conspicitur. Igitur à tempore, quo coli iterum à Religiosis Monasterium prædictum coepit, cessavit Jus Mensæ Episcopalis; consequenter fructus ab eo tempore percepti, tanquam sine causa percepti, restituendi veniunt. 2. Si per Breve hoc Apostolicum absolutus fuisset Celsissimus ab onere restituendi Præposituram cum pertinentiis, quod ipse per proprias Reversales sponte subit, debuisset obligatio ista ab Imperatore imposita, & à Celsissimo susceperit, consequenter ipsæ Reversales Literæ hujus obligationis testes expressè cassari, & fieri de utraque mentio in Brevi Apostolico, argumento ducto ex

C. caterum. 3. de Rescript.

ubi statuitur, si in eadem causa impetrata sint duo Rescripta aliquo modo sibi contraria, ut secundum valeat, oportere in hoc secundo fieri mentionem de primo. Atqui nec Obligatio prædicta, nec Reversales Literæ cassatæ expressè sunt in Brevi Apostolico, imò ne apice quidem uno de eo in hoc fit mentio. Ergo &c. 3. Si per subsequens Breve Apostolicum fuisset extincta Obligatio Reversalium, absque dubio Literæ istæ non fuissent relicte in Manibus Imperatoris, sed repetitæ à Celsissimo, sicut repeti solet Syngrapha testis debiti, quando hoc solutione, vel alio modo extinctum est: sed repetita non fuit. Ergo &c.

Verum Reversales hæc Literæ obesse non possunt, nec amplius obligationem restituendi, sub conditione prædicta initam, conservare. Nam 1. Per Incorporationem perpetuam beneficio Bullæ Apostolicæ factam Status Causæ notoriè mutatus est, & ipsæ Reversales per eam Bullam sublata; posteriora enim semper sunt ejus naturæ, ut prioribus derogent, per vulgata. 2. Actus agentium non operantur ultra intentionem illorum.

L. non omnis. 19. ff. de reb. credit. & consensus ad ignorata, vel incogitata non trahitur.

L. absenti. 10. ff. de Donation.

Non

Non fuit autem Mens Celsissimi, ut per Reversales has Literas se obligaret ad non petendam in futurum à Pontifice Incorporationem perpetuam Præposituræ Stainheimensis, sed tantum obstringere sese voluit, quòd rebus sic stantibus, prout tempore Reversalium datarum steterant, restituere paratus sit dictam Præposituram sub eventu Conditionis adjectæ. Igitur mutato eo Statu, sicut intentio se obligandi ad restitutionem ad eventum mutationis sic factæ se non extendit, ita per hanc ipsam mutationem obligatio ista cessavit. 3. Verba Bullæ absolutam, & perpetuam Incorporationem decernunt, ut patet ex tenore ejusdem. N. 31. & dicendis ad *Quæst.* 8. & 9. ut adeò contrariæ interpretationi, qua illa ad conditionem Reversalibus adjectam restringatur, locus non sit: & si locus esset, interpretatio ista fieri deberet à Summo Pontifice; sicut enim, ut vult Actor, Indulta, & Concessionem Cæsareæ ab alio Foro interpretari non possunt, quam apud ipsum Cæsarem, ita neque interpretari à Judicio Imperiali Aulico possunt Indulta, & Bullæ Pontificiæ, & multò minus tolli, cassari, & annullari: nam hoc multò magis in vilipensionem Authoritatis Pontificiæ cederet, quam si dicatur, quòd Indultum Cæsareum quo ad limitationem de Præpositura Quæstionis restituenda adjectam, per Bullam Incorporationis perpetuæ à Pontifice sublaturum sit; neque enim contra Authoritatem Cæsaream est negare Cæsari Dispositionem de Bonis Ecclesiasticis in perpetuum, aut aliter faciendam, quam quo modo hoc ipsi indulset Summus Pontifex, à quo solo potestatem disponendi accipere debuit, quippe cum aliam, & majorem potestatem Imperator ipse nequaquam præterdat.

25. Responsiones ad Argumenta opposita.

Ad Argumenta contraria facilis est Responsio. Ad 1. Resoluto Jure dantis, resolvitur etiam Jus accipientis. Extinctum autem est Jus Imperatoris per lapsum temporis, quo frui ipse redivitibus Reichenbacensibus ex Pontificia Concessione potuit; consequenter disponere de illis post tempus istud non potuit. Igitur nec impedire per se, vel per Reversales acceptas Celsissimum Henricum, ne ampliorem gratiam à Pontifice peteret, vel impetraret, quippe ad quod memoratus Henricus obligare sese non voluit, & ab Imperatore etiam obstringi non potuit. Ad 2. Argumentum ex *c. ceterum. cit.* procedit, quando præsumi potest, quòd Papa, vel Princeps, si recordatus fuisset prioris Rescripti, posterius vel omnino non, vel non eodem modo concessisset, ut adeò censetur contra, vel citra ejus consensum extortum. Aliud est, quando præsumi merito potest, quòd etiam mentione de priori Rescripto facta, adhuc, & eodem modo concessurus fuisset Rescriptum, & gratiam. Hoc autem in Casu præsumi merito præsumi potest, tum quia hac alienatione non adeò

R. P. Schmalzgrueber Consil. Tom. I.

multum decedit Monasterio Reichenbacensi, quippe de quo constat, quòd sine hac Præpositura adhuc uberes habeat Reditus; tum ob insignia merita Celsissimi, qui in defensionem Religionis Catholicæ plus quam undecies centena millia florenorum expendit, quarum expensarum non admodum magna compensatio est Præposituræ hujus perpetua Incorporatio. Ad 3. Repetitio ista inprimis, quantum præsumi in facto alieno, eoque antiquo potest, omiſsa fuerit per incogitantiam. Deinde, quacunque ex Causa omiſsa sit repetitio dictarum Reversalium, hoc Ecclesiæ Augustanæ obesse non potest, sicut non potest obesse, quòd penes Creditorem relinquuntur obligationes scriptæ, si Debitorem à debito suo aut per Apocham testem soluti debiti, aut per pactum de non petendo, aut per aliam viam legitimam liberatum fuisse constet, prout ex Juribus apertis liquet, & Ratio manifesta ostendit; nam quod obligatio scripta inveniatur penes Creditorem, Præsumptionem duntaxat facit de nondum soluto debito. Hæc autem cedit veritati, quæ habetur, quando de solutione, aut liberatione Debitoris ab obligatione contracta aliunde constat.

#### QUÆRITUR VI.

*Utrum in Pettitorio Romana Curia quoad Causam istam sola fundatam Jurisdictionem habeat?*

26. Ratio dubitandi.

Volunt nonnulli ex A Catholicis DD. non distinguendum esse in Causa Decimarum, utrum de his agatur Possessorio, vel Pettitorio, sed in utroque potestatem cognoscendi Judicio sæculari relinquendam; quia putant, Jus decimandi nihil esse spirituale, & si esset, ex eo capite Pettitorium pertinere ad Judicem sæcularem, quia ad eundem etiam pertinet Possessorium, quippe cum Causa Pettitorii, & Possessorii in eodem Judicio ventilari debeat.

*L. nulli. 10. C. de Judic. Et citantur à Syring. Behend. Recht. c. 9. §. 13. pro hac Sententia Meichner. Decif. Camer. Imp. 22. l. 1. n. 5. & seqq. Crolow. de Decim. pos. 55. Klock. vol. 3. conf. 41. fin. Rosenthal. de Feud. c. 12. concl. 3. n. 33.*

Ex quibus Rosenth. *l. cit.* distinctionem inter Pettitorium, & Possessorium in Causa Decimarum nimis superstitionis arguit, quæ idcirco ad Garamantas releganda sit, inprimis in Germania, ubi pars major Pontificiam Jurisdictionem non agnoscit. Meichnerus autem observat, pertinere ad Authoritatem Camerae Imperialis, & aliorum Judiciorum sæcularium, ut Decimarum Causæ ab his Romanam non avocentur. Sed uterque hic Author solum loquitur de Casu, quo circa Decimas convenitur Reus Augustanæ Confessionis; eum enim huic addicti adigi nequeant,

N n

queant, ut Jurisdictionem Ecclesiasticam, utpote quam vi Sanctionis Imperialis in Instrumento Pacis Religiosæ, & Westphalicæ circa se suspensam dicunt, agnoscant, miseris Actoribus administratio Justitiæ omnino deficeret. Quare in hoc Casu existimant, querelam proponendam in Camera. Postetque hoc Casu concedi, fieri id, Summo Pontifice non invito, posse. In præsentī Casu diversa est ratio; nam Lis in eo est inter Catholicos, & litigans uterque est Persona Ecclesiastica; igitur si agatur Petitorio, ad Cameram, vel Judicium Aulicum Imperiale cognitio non pertinebit. Fatetur hoc ipse

Syring. *l. cit.*

ubi dicit, distinctionem inter Causam Possessorii, & Petitorii in plerisque Tribunalibus observari, & Casu, quo Clericus cum Clerico, vel Laicus cum Clerico litem habet, etiamnum hodie apud plerosque Status Augustanæ Confessionis receptum esse, ut prout exigit communis Regula, juxta quam Actor sequitur Forum Rei, lis ejusmodi, ut plures alia, in Consistoriis Ecclesiasticis decidatur, pro executione autem Brachium sæculare imploretur. Rationem dat, quia licet Jurisdictio Ecclesiastica Catholicorum contra Status Evangelicos hodie vim non habeat, non tamen sequitur, quod Causæ Ecclesiasticæ à Sæcularibus non debeant discerni, & quævis Causa ad suum Forum remitti.

**27.**  
Rationes  
Decidendi.

Quare ad Quæstionem propositam dicendum, fundatam in Petitorio Decimarum esse solam Jurisdictionem Ecclesiasticam, ita ut cognitio Quæstionis super hujuscemodi Casu orta, & decisio illius per se loquendo, & spectato Jure, atque usu communi ad Judicem Ecclesiasticum spectet privativè. Ita Catholici omnes, etiam Legistæ, & ex A Catholicis plerique, suffragante Praxi Cameræ Imperialis, utpote quæ Appellationes in Causis Decimarum in Petitorio Decimarum non recipit, teste

Gaill. *l. 1. obs. 38. n. 2.*

Ratio est, quia Causæ Ecclesiasticæ, & his annexæ ad Forum Ecclesiasticum spectant. Atqui negari non potest, saltem à Catholicis, qui SS. Canones pro Legge suscipiunt, quod Jus Decimandi sit Jus Spirituale, vel saltem Spirituali annexum; nam hoc aperte constat ex

*C. ad hæc. 15. c. tua. 25. & c. seq. de Decim.*

Ergo &c. Proceditque hoc 1. Ut Causa Decimarum quoad Petitorium ne quidem per modum Reconvensionis ad Judicium sæculare deduci queat.

H. Hartm. *l. 2. Miscell. c. 2. obs. 9. n. 2.*

Procedit 2. Ut ne quidem vià Prorogationis Judex sæcularis in Causa Decimarum fieri competens possit, ut dictum est supra Num. 15. & cum aliis notat

Scaecia de Sentent. Gloss. 7. q. 3. limit. 5. n. 11. & 39.

Procedit 3. Etiam si Causa Petitorii circa Jus Decimarum tantum incidenter tractetur, nam neque de hac cognoscere Judex sæcularis potest, sed interea suspendere Cognitionem super Causa principali debet, donec Causa Decimarum Spiritualis definiatur in Judicio Ecclesiastico, ut ostensum est supra Num. 10.

Dixi autem, per se loquendo, & spectato Jure, atque usu communi. Excipitur enim

1. Si Cognitio Causarum Decimarum Judici sæculari data sit Privilegio Apostolico; nam eo etiam Laico competere illam posse, est extra dubium, cum Ordinem, & Statum Clericalem essentialiter non supponat. Excipitur 2. Si Lis mota sit super Decimis, quæ Privilegio, vel alia concessione Apostolica perpetuè, & omnino irrevocabiliter in Laicos translata sunt; quia tali concessione à titulo spirituali omnino avulsæ, & inter Bonæ Laicorum Patrimonialia, & profana censentur. In præsentī Casu neutra Exceptio locum habet: *Non prima*; quia de Privilegio Cameræ, & Judicio Imperiali Aulico à Pontifice dato, ut Causas Decimarum in Petitorio cognoscat, præsertim inter Clericos, vel ubi saltem Reus conventus est Clericus, non constat, imò ex Praxi Cameræ, ut Num. præc. notatum est, potius constat contrarium, cum Appellationes super hujusmodi Causis rejiciat. *Non secunda*; quia Decimæ istæ semper fuerunt, & adhuc sunt Ecclesiasticæ; neque ullo legitimo titulo ab Ecclesiasticis ad Possessores Laicos devenerunt: nam quòd Fridericus Elector Palatinus, post expulso ex Monasterio Reichenbacensi Religiosos, easdem cum reliquis ejusdem Monasterii Bonis invaserit, nullum inde titulum legitimum acquisivit, ex quo defendi possit, quòd eæ Decimæ in manus Laicæ legitimo modo devenerint. Neque obstat, quòd aliqua ex istis Monasterio memorato à Laicis donata sint in Dotem Monasterii; N. 1. nam hoc ipso, quòd in Dotem donata sint, exuerunt qualitatem Bonorum Laicalium, & qualitatem Bonorum Ecclesiasticorum induerunt.

Manet ergo, quòd in præsentī Casu quoad Petitorium solus Judex Ecclesiasticus possit cognoscere: idque ex duplici capite: uno, quia Persona Rei conventi Ecclesiastica est; altero, quia agitur de proprietate Bonorum Ecclesiasticorum, quæ Privilegium Immunitatis à Foro Laico à possessoribus suis participant, prout certum est præcipue de Bonis ad fundationem, vel Dotationem Ecclesiæ pertinentibus; nam hæc ejusmodi Donatione ita exempta sunt, ut neque tributis, vel aliis oneribus Laicalibus amplius subjecta sint, licet antea subjecta fuerint, ut cum cæteris sentiunt obstat, ut supra.

Gloss. in c. 1. de Censib. in cas. fin. Innoc. ibid. V. Servitio. Host. V. eod. Joann. Andr. n. 8. Fagnan. in c. non minus. 4. n. 8. de Immunit. Eccl. Cemet.

Ratio est, quia tali Casu, nisi aliud Fundator

in Limine foundationis disposuerit, Dominus tacite censetur Tributum, & alia hujusmodi Onera Laicalia remisisse.

30.

Utrum verò in Controversia presenti inter Judices Ecclesiasticos de Petitorio cognoscere sola Curia Romana possit, dubium moveri potest; videtur enim, primam Instantiam competere Archi-Episcopo, utpote qui in Episcopos Provinciae suae sibi subiectos Jurisdictionem Ordinariam, tanquam Immediatus, & Ordinarius illorum Superior habet: quod ita verum est, ut super hac illorum subiectione, & Causarum illos concernentium cognitione intentionem Jure communi fundatam habeat.

*Arg. can. quia cognovimus. 6. caus. 10. q. 3. c. pastoralis. 11. princ. de Offic. Jud. Ordin. & notat ibid. Gloss. V. exceptis. Abb. num. 2. Barbof. n. 4.*

Verum doctrina ista non adeò amplè accipienda est; sed plures Exceptiones patitur: nam præter alias excipiuntur in primis Causae Criminales; quia istarum, si majores sint, cognitio, & decisio Sedi Apostolica reservata est, minores verò in Concilio tantum Provinciali, vel ab hoc Deputatis cognosci, & terminari debent ex Decreto

Trident. *Sess. 24. c. 5. de Reform.*

De Causis Civilibus Episcoporum suae Provinciae sibi subiectis cognoscere quidem Archi-Episcopus potest, sed itidem in Concilio Provinciali tantum; nam extra Concilium Provinciale de his cognoscendi potestatem Archi-Episcopo negat

Barbof. *Jur. Eccl. l. 1. c. 7. n. 46.* ubi in eam rem allegat *Rescriptum S. Congr. Card. negot. Episc. & Regul. prapof. datum Episcopo Rhegiensi die 31. Maij 1588.*

Cum ergo hujusmodi Concilia Provincialia in Germania certis, & legitimis ex Causis raro admodum, & nunquam ferè habeantur, constat extra Casum celebrati talis Concilii Controversiam istam deferendam ad solam Curiam Romanam.

31.

Habebit igitur in Petitorio quoad presentem Controversiam Curia Romana sola Jurisdictionem fundatam, & nullus alius Judex, praesertim Laicus. 1. Quia Reus conventus est Persona Ecclesiastica; Actor autem sequitur Forum Rei. 2. Quia Causa est Spiritualis, utpote Decimarum. 3. Quia ipse Imperator, dum pro impetranda Incorporatione perpetua Praepositurae Quæstionis intercessionem suam interposuit Romæ, ibi Forum agnovit, & tacite fassus est, Causam ad se non pertinere. 4. Quia hic agitur de valore Bullæ Pontificiæ, per quam Incorporatio facta est: quæ an vitium subreptionis, vel aliud habeat, solum Romæ, & non coram Tribunali alio, praesertim Laico, examinari, atque decidi debet. Ex quibus omnibus patet Responsio ad Argumentum Num. 26. propositum. Quod additur, dum ex eo, quòd Judex cognovit de Possessorio, inferatur, eundem cognoscere posse, &

*R. P. Schmalzgrueber Consil. Tom. 1.*

debere etiam de Petitorio, ne continentia Causarum dividatur, tangit id, quod

QUÆRITUR VII.

*Utrum Serenissimo in hoc Casu obstez Continentia Causa, ne amplius in Petitorio agere possit coram Romana Curia, postquam Judicium Imperiale Aulicum in Possessorio Sententiam tulit?*

Videtur obstarè; nam

*L. nulli. 10. C. de Judic.*

expressè decernitur, ne quis Causa Continentiam dividat, sive ne Causas, quæ connexionem aliquam inter se habent, apud diversos Judices ventilet. Atqui Causa proprietatis, & possessionis connexæ sunt inter se: connectuntur enim tum ratione subjecti; quia versantur circa eandem Rem: tum ratione facillioris Cognitionis, & Decisionis; quia qui de possessione cognoscit, facilius cognoscere, & definire potest de Causa proprietatis. Ergo ab uno, & eodem Judice rectè cognoscuntur.

Hinc communis doctrina est, quòd Causa proprietatis, & possessionis apud eundem Judicem tractari debeat: quam sententiam expressè defendit

*Gloss. in c. susceptis. 1. de Caus. possess. & propriet. V. sub uno. Vivian. ibid. in Ration. Barbof. n. 1. Gonzal. n. 8. & seqq. cum reliquis, & expressè statuitur c. susceptis. cit.*

Et hoc verum est non solum, quando Possessorium simul agitur cum Petitorio, & eò pendente, sed etiam quando finita Causa Possessionis, instituitur Causa Proprietatis; adhuc enim idem Judex, qui de Possessione cognovit, etiam super Proprietate est adendus, ut ex ratione allata probat

Barbof. *l. cit. num. 4.*

& confirmat; quia Judex, qui de Possessione cognovit, magis instructus est, ut decidere possit negotium Proprietatis.

Verum doctrina ista iterum non est perpetua, sed Exceptiones suas habet. Inter alia 1. Excipitur, si litigantes sint Fori diversi; nam si Actor sit Clericus v. g. & causam obtinuit in Judicio Possessorio coram Judice sæculari Rei, eo finito, coram eodem Judice non tenetur respondere super proprietate, ut colligitur ex

*C. final. de Judicis.*

& ratio est, quia Judex Sæcularis incompetens est, ut in Causa conventionis pronuntiare possit adversus Clericum. 2. Si Causa Possessionis, & Proprietatis tales sint, ut de utraque non possit Judex cognoscere, e. g. si agatur de Re, vel Jure Spiritualis; nam licet Judex Laicus in Causa possessoria, cum est Quæstio merè facti, cognoscere possit, non tamen ideo ad eundem spectat definire Causam Petitoriam, seu Proprietatis, cum ibi agatur de Jure, ut ostensum est ad Quæst. 1.

N n 2

Num.

32.

Rationes Dubitandi.

33.

34.



Deciditur  
Quæstio.

Num. 8. cum seqq. & ad Quæst. præc. Num. 27.  
Manet ergo, quòd in hac Causa Serenissimo  
Causæ Continentia non obfit, sed liberimè  
in Curia Romana agere possit Petitorio, si  
opus fuerit, non obstante, quòd Judicium  
Imperiale Aulicum in Possessorio Sententiam  
tulerit; quia in hoc Casu ambæ prius allatæ  
Exceptiones concurrunt, dum nempe Judi-  
cium suscipitur contra Personam Ecclesiasti-  
cam, & in Re purè Ecclesiastica.

### QUÆRITUR VIII.

*Utrum pro hic, & nunc Bulla  
Incorporationis Anno 1631. à Pontifice im-  
petrata N. 31. objici possit Vitium Sub-vel  
Obreptionis, vel, an non potius Exceptio ista  
jam pridem post tanti temporis lapsum  
extincta sit?*

35. Quæstio hæc duo continet membra, u-  
num, an simpliciter isti Bullæ objici  
possit, vel unquam potuerit Sub-vel Obre-  
ptionis Vitium? alterum, utrum si hoc vi-  
tio laborasset, objici hoc vitium illi possit  
nunc post tanti temporis lapsum?

36. Ad posterius Quæstionis ita formatæ  
membrum satis in Jure fundata est responsio  
negativa. Ratio est, quia cum Obreptio,  
vel Subreptio ita vitiet Rescriptum, vel Bul-  
lam, aut Breve Apostolicum, ut illud effi-  
ciat omnino nullum, atque invalidum, hoc  
impugnaturus ex Causa Ob-vel Subreptionis  
deberet uti Remedio nullitatis. Hoc autem  
post tanti temporis lapsum, ab Anno scilicet  
1631. usque ad Annum præsentem 1720.  
non amplius locum habet; Nullitas enim,  
etiam cum insanabilis est, intra 30. Annos  
deduci debet.

Mynsing. resp. 68. num. 11. & Cent. 5.  
obs. 92. Gaill. l. 1. obs. 127. num. 8.  
Perez. in Cod. quand. provoc. non est ne-  
cess. n. 12. Scaccia de Appell. p. 2. q. 19.  
rem. 1. concl. 7. n. 1. & seqq. Carpz.  
p. 3. decis. 245. n. 10. & p. 1. Jurispr.  
for. const. 26. desin. 21. n. 9. Struv.  
ad ff. Exercit. 50. th. 18. Müller. ad  
eund. thes. cit. Lit. 8. D. Baro Lin-  
cker de Gravam. Extrajud. c. 9. p. 2. §. 32.

Nam communi DD. Sententiâ, & usu Fori  
receptum est, ut Querela nullitatis, ex quo  
per implorationem Nobilis Officii Judicis  
proponitur, habeatur instar Actionis: &  
consequenter obtinet regula præscriptionis  
Actionum per 30. Annos.

Recess. Imp. Ratisb. de Anno 1654. §.  
Vey den jenigen Nullitâten. 122. Stryck.  
ad Brunnem. de Jur. Eccl. l. 5. c. 10. §. 23.  
Mevius p. 1. decis. 100. Müller ad  
Struv. l. cit.

Adeoque, lapsò hoc termino, de Nullita-  
te experiri ulterius læsus non potest.

Paul. de Castro l. 1. Conf. 289. num. 2.  
Scaccia remed. 1. cit. concl. 4. num. 46.

Cravett. vol. 1. Conf. 179. num. 1.  
Lancellot. de Arrent. p. 2. c. 17. n. 128.  
& seq. Carpz. l. 2. resp. 100. n. 5.

Idque verum est, etiam si Nullitas sit evidens,  
atque ex Actis notoria; nam quando Statu-  
tum, vel Lex prohibet Nullitatem opponi  
post certum tempus, tunc lapsò termino,  
censetur etiam Nullitatem illam, quæ est ma-  
nifesta, & ex Actis evidenter apparens, non  
excludere.

Paul. de Castro. vol. 1. cit. Conf. 16.  
num. 11. Pract. Papiens. in form. exe-  
cution. Sent. Desin. num. 11. Scaccia  
concl. 4. cit. n. 45. Borgnin. Cavalcan.  
decis. 11. n. 54. Carpz. Resp. 100. cit.  
num. 5.

Extenditur doctrina ista etiam ad Casum,  
quando remedium Nullitatis opponitur per  
modum Exceptionis; quia Jus, quod debet  
proponi per modum agendi intra certum  
tempus, eo finito, non potest proponi, vel  
deduci in modum Exceptionis, per textus

L. quæstum est. 30. §. in dolo. 6. ff. de  
Pecul. l. si intra. 8. C. de non num. pecun.  
l. Papinianus. 8. §. si filius. 13. ff. de inoff.  
testam. l. nec non. 28. §. exemplo. 5. ff. ex  
quib. Caus. major. Mevius. p. 3. decis.  
333. Klock. in Relat. Camer. Vor. 72.  
num. 136. Müller. ad Struv. Exerc. 50.  
thes. 18. Lit. e.

Aliàs circumveniretur dispositio Statuti, vel  
Legis.

L. ad exhibendum. 19. ff. ad exhibendum.  
& prohibitum unâ viâ concederetur alterâ.

L. cum Lex. 46. ff. de Fidejussor. L. ora-  
tione. 16. ff. de Sponsal. Carpzov. l. 2.  
Resp. 100. num. 5. & p. 1. decis. 50. n. 3.  
ubi ait, post terminum lapsum nec excipi-  
re amplius licere de Nullitate. quocum  
consentit Scaccia concl. 4. cit. num. 49.  
Berlich. p. 1. concl. 61. n. 9. Müller.  
ad Struv. l. cit.

Neque obstat communis Regula, quâ dici-  
tur, quòd ea, quæ ad agendum sunt tem-  
poralia, ad excipiendum sint perpetua, quæ  
sumitur ex

L. purè. 5. §. fin. ff. de dol. mal. & met.  
Except.

Nam Regula hæc solum pertinet ad illa, quæ  
Reus non potest aliter, quàm per modum  
Exceptionis proponere, & ubi Actoris  
Compellationem expectare necesse habet,  
non verò ad ea, quæ etiam per modum A-  
ctionis proponi possunt, uti est Exceptio  
Nullitatis.

Mevius p. 3. decis. 333. n. 3. Müller.  
l. cit.

Manet ergo, quòd post tanti temporis lapsum  
Dominus Actor contra Bullam Pontificiam  
nec agendo, nec excipiendo ulterius expe-  
riri, aut ipsa Bulla de Sub-vel Obreptionis  
vitio non amplius impugnari possit: ex quo  
patet Responso ad secundum Quæstionis hæc  
propositæ membrum.

Ad

38. *Questionis membr. 1.* Ad prius verò ejusdem membrum, utrum scilicet simpliciter isti Bullæ obijci possit, vel unquam potuerit Sub-vel Obreptionis vitium, quia in hoc totus ferè Cardo Querelæ adversus detentionem Præposituræ Questionis versatur, paulò fusiùs respondendum est. Contendit Dominus Actor, Bullam istam Ob-vel Subreptitiè impetratam fuisse. 1. Quia videtur emanasse contra mentem Summi Pontificis; nam hujus mens non erat, in re adeò magni momenti Proventus, & Jura Monasterii Reichenbacensis laderè, cum potius constet, quòd voluerit illa facta tecta servari: cujus indicium est, quòd licet Augustissimus Imperator Ferdinandus II. pro Celsissimo Henrico intuitu expensarum, & damnorum maximorum, quas Ecclesia Augustana pro Defensione Religionis Orthodoxæ fecit, aut passà est, interpositis efficacissimis precibus, apud Sanctam Sedem efficere contenderit, ut pro æquivalenti, & pro Compensatione damnorum istorum Mensæ Episcopali in proprietatem, & in perpetuum incorporaretur Monasterium Reichenbach, preces tamen istæ apud Sanctissimum locum non invenerint, nisi eatenus, quatenus intuitu illarum dicto Celsissimo concessa fuit decennalis perceptio fructuum dicti Monasterii, N. 15. Idque ob rationes certas, & graves, ut in Bulla dicitur, Pontificis animum moventes, quæ rationes aliæ esse non potuerunt, quam ut vacantis istius Monasterii Jura usque ad plenam ejus restitutionem conservarentur facta tecta, eique nihil, quod ad Dotem, & Fundationem ejus spectabat, circa proprietatem subduceretur.

39. 2. In Supplicatione, N. 23. quæ Summo Pontifici pro impetranda perpetua Incorporatione Præposituræ Stainheimensis oblata est, & in ipsa Bulla Incorporationis N. 31. non est facta mentio Concessionis Imperatoris, quæ fruitio istius Præposituræ à Ferdinando II. concessa est limitatè ad tempus, usque dum Monasterium Reichenbach iterum restitueretur in statum pristinum, illudque coleretur à Religiosis. N. 19. Videtur autem ad valorem istius Bullæ, & ad evitandum vitium Ob-vel Subreptionis fuisse necessarium, ut hujus Concessionis mentio in Supplicatione, & ipsa Bulla fieret,

*Arg. c. caterum. 3. de Rescript.*

ubi statuitur, ut si in eadem Causa duplex sit impetratum Rescriptum, in quorum primo sit restrictio, in secundo verò ampliatio cum præjudicio tertii, mentio in isto fieri debeat de prius obtento: aliàs secundum Rescriptum, vel Privilegium subreptitium, & nullius valoris erit quoad hoc punctum, & quatenus excedit limites Privilegii prius concessi; siquidem Privilegio non derogatur per aliud contrarium, nisi illius expressa fiat mentio. Hinc ope Exceptionis elidi potest, & primum in robore suo manet, si fuerit Judicibus præsentatum, & vigore illius citatio facta.

*C. caterum. cit. c. postulasti. 27. & c. ad audientiam. 31. de Rescript.*

Quod etiam evincit Ratio; quia si Papa, vel Princeps recordatus fuisset prioris Rescripti, posterius vel omnino non, vel non eodem modo concessisset, ut adeò censeatur citrà ejus consensum extortum. Consequenter iterum præsumitur defecisse animus concedentis.

3. In ea Supplicatione etiam non est facta mentio Reverfalium, N. 20. Quibus Celsissimus Henricus se obligavit ad cedendam Præposituram Stainheimensem cum fructibus in Casum, quo restituendum sit Monasterium Reichenbacense in integrum, & iterum ponendi in eo Regulares. Atqui debuisset harum Reverfalium fieri mentio; præsumi enim meritò potest, & in se ipso verisimile admodum est, quòd si Reverfalium istarum facta fuisset mentio, in Curia Pontificia non ita facile facta fuisset Incorporatio perpetua. Imò si Pontifex etiam voluisset Incorporationem perpetuam Præposituræ istius absolute concedere, id non potuisset, indefenso adhuc existente Monasterio; nam supremus Princeps etiam ex plenitudine potestatis nemini Jus quæsitum immutare, vel auferre potest, parte, eatenus Interesse habente, non audita.

4. Obreptio juxta omnes contingit per narrationem Falsi. Atqui Supplicatio Pontifici facta pro Incorporatione perpetua Præposituræ Stainheimensis evidenter convinci potest de narratione Falsi; nam in hac Supplicatione propositum fuit Summo Pontifici, quòd Præposituræ Stainheimensis Decimæ, & alii proventus, tanquam feudum, ad Ecclesiam Augustanam jure Domini directi pertineant, & quòd istæ Decimæ cum pacto, ut post certum tempus ad dictam Ecclesiam, & Mensam Episcopalem reverterentur, certis Personis Laicis concessæ sint, dein verò per inadvertentiam ad Monasterium Reichenbacense, tanquam ad manum mortuam, contra naturam Feudi, & quidem absque debitis Solennitatibus, & titulo feudali devenerint, N. 23. Atqui hæc narratio facta evidenter videtur posse convinci de Falso; licet enim Monasterium Reichenbacense libenter fateatur hanc qualitatem feudalem in Decimis Frickianis (den Fricken-Zehend) utpote quas sub hac qualitate feudali ab Hospitali S. Spiritus Höchstadiensis primum Anno 1503. & 1505. per Contractum Emptionis Venditionis accepit, & semper tanquam feudum ab Ecclesia Augustana acceptum recognovit: tamen præter has Frickianas idem Monasterium jam antea possidebat duas alias, den Groß-Zehend, und Berg-Zehend appellatas, de quibus quidem ex Instrumentis antiquis N. 7. constat, quòd eas percipiendi Jus Episcopus Augustanus quarto quoque Anno habuerit, quòd verò Feudales etiam illæ respectu Ecclesiæ Augustanæ fuerint, ne Jota quidem inveni-

ri in Actis poterit, ut proinde non feudales, sed allodiales censenda sint; nam cæteris paribus præsumptio pro allodio militat, & quælibet res etiam in dubio præsumitur esse libera, donec probetur contrarium, per vulgata. Videtur autem Summus Pontifex ad Incorporationem perpetuam faciendam hac sola Ratione motus, quòd Decimæ incorporatæ Feudales sint; nam istam solam Brevis suo pro Concessione à se facta allegavit. Ergo &c.

42.

5. Similis Falsitas elucet ex triplici alio capite; nam 1. Pontifici propositum fuit, quòd Decimæ istæ, & Proventus reliqui Præposituræ Stainheimensis sint *di poca Somma*, & quòd earum Reditus annui centum sexaginta Ducatorum valorem non excedant, ut videre est in Bulla adjecta Duplicæ: N. 31. quod tamen falsum est; nam Anno 1629. Reditus, & proventus Præposituræ Quæstionis æstimati sunt ad 1127. Fl. 18. Cr.

3.  $\frac{1}{2}$  Hæc, ut habetur Fascic. Act. 10. in designatione ibidem adjecta. N. 32. 2. Supplicatio pro Incorporatione, & ipsa Bulla Incorporationis se fundat super possessione antea habita. N. 23. Falsum est autem, quòd Ecclesia Augustana proventus istos Jure pleno ab antiquo, & ante Incorporationem possederit; nam Frickianas Decimas solum possedit Jure Dominii directi, reliquos verò proventus solum eatenus, quatenus illos quarto quoque Anno percepit. 3. In sæpius memorato Brevis Incorporationis, N. 31. Monasterium Reichenbach falsò ponitur in Diocesi Augustana Provincia Moguntinæ, cum tamen constet, illud situm esse in Diocesi Ratisbonensi, Provincia Salisburgensi. Ex quibus omnibus aperte lequi videtur, Brevis istud ob - vel subreptitium, adeoque nullum, & invalidum esse: nam Rescriptum ex falsa causa concessum, invalidum est, prout similiter Sententia, ex falsis Instrumentis, & narratis lata, non valet.

*L. si Tabulas. 1. & l. seq. C. si ex fals. Instrum.*

Et Privilegium Sub- & Obreptitium esse censetur, si impetrans conferenti vera non proposuerit, & falsa narraverit, præsertim verò, si illud in damnum alterius tendat, vel saltem postea damnosum esse incipiat.

43.

Respondetur ad Rationes oppositas.

Verum Sequela ista non adeò certa est; ut propterea Brevis hoc Apostolicum fateri necesse sit esse Sub-vel Obreptitium, adeoque invalidum; nam Argumenta hæcenus proposita non difficilem solutionem patiuntur. Ad 1. Quòd Pontificis mens non fuerit Monasterium Reichenbacense semper conservari pro Sacro Ordine S. Benedicti, & hujus Religiosis, patet ex eo, quia idem Pontifex concessit illud incorporari Collegio Ambergeni Societatis JESU. Item non potest probari, quòd absolutè idem Pontifex noluerit quidquam ex Reditibus, & Juribus ejusdem Monasterii decerpi: nam constat, quòd nomine prædicti Col-

legii R. P. Gualterus Mundbrott Provincia Germaniæ Superioris Provincialis, postquam dictum Monasterium Collegio memorato Autoritate Pontificia in Fundationem adjudicatum est, in favorem Celsissimi Henrici, & Mensæ Episcopalis Præposituræ Stainheimensi renuntiaverit. N. 36. Quòd verò renuntiationi isti non accesserit Consensus Pontificius, Causa non fuit, quasi eam, uti Dominus Actor contendit, Sanctissimus improbaverit, sed quia Incorporatio istius Monasterii ad Collegium Ambergense in effectum deducta non est, quippe cujus loco eidem Collegio concessum est Monasterium Castellense. Cæterum quòd idem Pontifex Celsissimum Henricum, & Ecclesiam illius Augustanam omni occasione, quâ posset, ob tantos Sumptus in defensionem Religionis Orthodoxæ expensis intenderit consolari aliquâ saltem eorum compensatione, patet ex Literis Episcopi Adramyteni, N. 34. quem Celsissimus Henricus Romæ in Causa Incorporationis Legatum habuit, adjectis fascic. 30. Actor, ubi refert, Sanctissimum, postquam audivit, quòd Celsissimus pro Re Catholica expenderit plus quàm undecies centena millia florenorum, se declarasse, quòd omninò deceat, ejusdem, & Ecclesiæ ipsi concredita rationem haberi.

Ad 2. Retorqueri inprimis Argumentum in Dominum Actorem potest, qui in Libello Augustissimo Imperatori Josepho glor. mem. porrecto N. 49. omisit mentionem de Bulla Incorporationis à Pontifice factæ, & sic effecit, ut Rescriptum Cæsareum 18. Sept. 1708. N. 50. emanaverit, quo Serenissimo Episcopo Augustano absque mentione istius Bullæ ex solis Reverfalibus, quòd Conditio ibi adjecta purificata fuerit, imperata est restitutio Præposituræ Stainheimensis, & proventuum ad hanc pertinentium. Unde longè magis Rescriptum istud ex taciturnitate veri pro Subreptitio haberi debet; neque enim creditur Augustissimus post habitam Bullæ istius notitiam absque ulteriori, & accuratori Causæ notitia imperaturus fuisse restitutionem istam. Deinde allegati Textus tantum loquuntur de Rescriptis Justitiæ; in nostro autem Calu sermo est de Rescripto Gratiæ: unde cum ab illis ad ista non valeat in Jure Argumentum, ex Causa ista, quòd prioris Rescripti Cæsarei, quo fruitio Præposituræ limitatè concessa est Celsissimo Henrico, in Brevis Apostolico non fuerit facta mentio, Brevis istud non fuit factum invalidum, modò præsumi prudenter possit, quòd Sanctissimus adhuc concessurus fuisset Gratiam Incorporationis perpetuæ istius Præposituræ, etiam si scivisset fruitionem illius tantum limitatè fuisse concessam ab Augustissimo. Hoc autem præsumi posse Jure meritissimo, ostendunt merita summa Celsissimi, & Animus Pontificis propensius ad ei favendum in

occasione, qua bene posset. Denique eidem Brevi Apostolico N. 31. inserta est Clausula, *non obstantibus pramissis, ceterisque in Contrarium facientibus quibuscunque*, quæ Clausula generali Pontifex, utpote qui Privilegia omnia, & singula non inserta Corpori Juris communis nôsse, & exprimere non valet, sufficienter revocasse censetur Privilegia anteriora minus ampla: & hoc eo magis, cum genus ex sua natura omnes species comprehendat.

*L. semper. 47. ff. de R. J. P. Wiestner de Rescript. n. 32.*

45.

*Ad 3.* Per Reverfales has Literas Celsissimus Henricus se non obligavit ad amplio-rem gratiam à Pontifice non petendam. Et de ipso Pontifice meritò præsumi potest, quòd etiam facta notitiâ, de his Reverfalibus, adhuc concessurus fuisset gratiam Incorporationis; cum enim eo tempore plures factæ sint ejusmodi Incorporationes Bonorum Ecclesiasticorum præcisè in favorem impetran- tium, meritò præsumi potest, quòd Celsis- simo memorato, quippe qui, si quisquam alius, ob tantas expensas in Rem Christianam factas, favorem est meritus, claudere viscera sua nequaquam voluerit. Non ergo ne- cesse erat Reverfalium istarum in Supplicatio- ne mentionem fieri: idque ex eo etiam Capite; quia Reverfales istæ tantum respiciebant Imperatorem, qui Incorporationem perpetuam Redituum Ecclesiasticorum non potuit facere, sed tamdiu solum de illis dis- ponere, quamdiu fruendi illis potestatem à Pontifice habuit, quæ potestas cum tempore, quo Incorporatio à Pontifice concessa est, jam cessaverit, utpote perceptione fructuum ex Bonis Monasteriorum in Electorem Bavaricæ jam translata, cum hac potestate etiam cessârunt Reverfales, opusque erat novâ gratiâ ab Electore, vel Incorporatione per- petua à Pontifice, in quam apertè etiam con- sentit Serenissimus Elector Bavarus, utpote qui per Intercessionales Literas N. 26. 27. 28. à Pontifice pro Celsissimo Incorporationem istam instanter petiit. Quòd verò ad- ditur, quasi Pontifex Jura Ecclesiarum muta- re, diminuere, vel auferre non possit, tangit Supremam potestatem Pontificis, de quo extra Controversiam est, quòd ex Causa mu- tare Statum Ecclesiarum possit, cum sit Su- premus omnium Ecclesiarum Administrator, & hujusmodi Incorporationes plurimas jam fecerit, etiam iis, penes quos Ecclesiæ ejus- modi antiquitus erant, non citatis, nec au- ditis: de quarum Incorporationum valore disputare, vel eundem, aut potestatem sic incorporandi in dubium trahere, non videtur decens pro obediente Ecclesiæ Romanæ fi- lio. Quare si Pontifex potuit totum Mo- nasterium Reichenbacense alienare, & tra- dere Societati JESU pro Collegio Amber- gensi, prout intendit, potuit utique etiam partem proventuum ejusdem Monasterii sine injuria Ordinis, & Monasterii ex certis Cau-

sis tradere Ecclesiæ, & Mensæ Episcopali Augustanæ, cum adhuc Religiosi habeant, & habuerint hæctenus sufficientem sustenta- tionem etiam sine hac portione.

*Ad 4.* Inprimis saltem Frickianæ Deci- mæ habent qualitatem Feudalem in Suppli- catione, & Brevi Apostolico allegatam. Er- go saltem in illis Incorporatio per Breve hoc facta sortietur effectum suum; sunt enim Decimæ istæ, quæ proventus Præposituræ Stainheimensis constituunt, à se invicem se- parabiles. Consequenter hoc Casu intrat communis doctrina, juxta quam, vitiatâ unâ parte Rescripti per Ob-vel Subreptionem, non hoc ipso vitiantur ceteræ partes ejus- dem Rescripti, quæ non continent tale vi- tium: quam doctrinam cum communi de- fendunt

*Abb. in c. 15. de Rescript. n. 4. Felin. ibid. n. 2. Gaill. l. 1. obs. 14. n. 4. Et sumitur ex c. si eo tempore. 9. de Rescript. in 6.*

Ratio est, quia utile per inutile vitari non de- bet, quando sunt ab invicem separabilia, juxta

*Reg. 37. in 6. junct. Gloss. ibid.*

Et confirmatur: nam quando diversæ gra- tiæ, nullam inter se connexionem habentes, in eodem Rescripto conceduntur, sunt virtualiter duo Rescripta, & merè per accidens, & materialiter unum Rescriptum.

2. Meritò dici potest, quòd etiam ceteræ Decimæ, & proventus plerique, vel sal- tem aliqui eorum qualitatem Feudalem ha- buerint; licet enim Authenticum aliquod Instrumentum, quod dicat Feudales esse has Decimas, nullum habeatur, cum multa Acta in duplici incendio Arcis Dilinganæ ante 100. & plures Annos perjérint, in iis tamen, quæ adhuc extant, satis clara extant indicia, quòd Decimæ istæ, & proventus ante ali- quot centenos Annos Feudales respectu Ec- clesiæ Augustanæ fuerint; nam 1. In Reper- torio Actorum, in Rubro, vel Dorso Do- cumentorum sub qualitate Feudali notatur etiam *der Berg, Zehend.* 2. Has, & ma- jores Decimas cum reliquis Præposituræ pro- ventibus in quartum quolibet Annum ab antiquissimis temporibus collegit semper Episcopus Augustanus, in signum utique ac- cepti Beneficii, seu Feudi. Neque enim cum fundamento dici potest, quòd hæc quarti Anni fructio reputanda sit pro Quarta Episcopali, quæ Episcopo ex Decimis de Jure communi debetur; nam Quarta ista te- ste

*Werdle Zehend-Recht. l. 2. c. 9. fol. 97.*

jam olim abrogata est: consequenter ex- pressè ab altera parte probari debet, quòd hæc pars Decimarum sit Quarta Episcopa- lis; contrarium enim præsumitur, etiam ex isto capite, quia Quarta Episcopalis non à Parochianis, sicut in hoc Casu, sed à Paro- cho ex Decimis præstari debet. 3. Pro hoc

stat

46.

47.

stat Præsumptio in Jure fundata, quam quilibet Parochus in sua Parochia, adeoque quilibet Episcopus in sua Diœcesi quoad Decimas pro se habet, si contrarium non ostendatur. 4. Decimæ istæ non procul sunt Dilingâ in Loco dimidiâ horâ inde distito, ubi Episcopus, & Hospitale Dilinganum plures alias Decimas aut sub pleno Dominio, aut sub ratione Feudi, tanquam Dominus directus habet. 5. Hanc Feudi qualitatem Summo Pontifici in Supplicatione sua proposuit Celsissimus Henricus Episcopus, de quo Principe, cum nota adhuc sit summa ipsius integritas, præsumi, vel credi non potest, quod per mendacium, & falsitatem voluerit informare Sedem Apostolicam; nam probatio bonæ vitæ etiam in genere tollit omnem falsitatis suspicionem.

Socin. jun. *Conf.* 45. *fin.* l. 3. Menoch. *Conf.* 248. n. 2.

Neque præsumitur falsitas commissâ esse in Loco celebri.

Idem Socin. *Conf.* 39. *num.* 32. l. 1. Cravett. *Conf.* 75. n. 8.

Multò minùs præsumi id debet de Principe Imperii, eoque Ecclesiastico, & ubi præsentia qualitas ab integro Dicasterio Ecclesiastico, sicut hic contigisse probari per Authentica Instrumenta N. 29. potest, proposita, & Romam pro Informatione transmissa est. Quæ Argumenta licet concludenter non probent, maximam tamen Præsumptionem faciunt, cujusmodi Præsumptiones in factis antiquis, & quæ propterea difficulter probari possunt, plurimum valent.

48.

3. Esto, non omnes proventus, tanquam Feudum, ab Ecclesia Augustana processerint, fatetur saltem Dominus Actor, hac Feudi qualitate præditas fuisse Decimas Frickianas, quæ potissimam partem Redituum Præposituræ constituunt, quippe quæ annuas 60. & plures Scaphas varii frumenti pendunt, cum aliæ Decimæ, *der Berg-Zehend* ut ex libris Rationum & Documentis N. 32. antiquis constat, tantum annuas 16. aut 17. Scaphas ferant. A potiori autem sit denominatio. Neque obest, quod præter dictas duas Decimas supersint tertiæ (*der Groß-Zehend*) ad Præposituram spectantes; nam ut ex Descriptione Anno 1582. facta N. 33. constat, Frickianæ cum his adeo confusæ sunt, & jam tum fuerunt, ut à se invicem dividî, secerni, vel ostendi, ex quibus agris quælibet accipiantur, nequeant. Ex qua Causa in dicta Descriptione quidem unus, vel alter ager notatur, qui existimetur ad Decimas Frickianas pertinere, ex quibus tamen Summa projecta nequaquam elicitor, ceteri verò Agri ad Decimas majores trahuntur. Hinc etiam in Rationibus Majores, & Frickianæ Decimæ per modum unius complexi sumptæ sunt, & plerumque sub nomine majorum Decimarum comprehensæ etiam Frickianæ absque mentione specialis nominis. Quæ confusio vel arguit utrasque Feu-

dales fuisse, vel saltem excusat errorem, si aliquis in isto contigit, quod propositæ ambæ Pontifici in Supplicatione fuerint, tanquam Feudum ex beneficio Ecclesiæ Augustanæ descendens. Non debet autem hic error, & non potest gratiam Incorporationis vitare, & Ob-vel Subreptitiam reddere; nam Rescriptum ordinariè solet conformari Supplicationi: consequenter ob eandem Causas concedi gratia solet, ob quas ea petitur. Petita autem Incorporatio Præposituræ Stainheimensis à Serenissimo Electore Bavarò repetitò fuit in favorem Ecclesiæ Augustanæ, & Mensæ Episcopalis ob merita istius Ecclesiæ, ob Sumptus ingentes ab hac in bonum & defensionem Ecclesiæ Orthodoxæ factos, & ob ortam inde Ecclesiæ prædictæ depauperationem. Igitur ob has Causas etiam gratia Incorporationis à Sanctissimo censetur data. Neque obesse debet, quod Celsissimus pro Causa in Supplicatione N. 23. addiderit qualitatem Feudalitatæ, & Possessionis antea habitæ, quæ fortasse non subsistit. Nam si in Supplicatione duæ proponuntur Causæ, quarum quælibet ad concedendam gratiam sufficeret, etiam si una non subsistat, modò subsistat altera, gratia per hoc non vitatur, præsertim si altera Causa, quæ non subsistit, fuit tantum impulsiva: imò in dubio Causa talis falso expressa, subsistente altera, in omnibus Literis gratiosis censenda est potius impulsiva tantum, ex generali Principio, quod in dubio præsumendum sit pro valore Actus. Atqui in Casu præsentis suffecerunt merita, & expensæ prædictæ ad gratiam Incorporationis impetrandam, & præsumi merito potest, Sanctissimum ob has solas paratum fuisse decernere Incorporationem. Igitur hac Causâ subsistente, gratia Incorporationis etiam ipsa subsistet, & altera Causa qualitatis feudalis merito solum habebitur pro impulsiva.

*Ad 5.* Argumentum contrarium. 1. Probari non potest, quod Jus Decimarum, & reliquorum proventus illo turbulento, bellicis tumultibus infesto tempore plus valuerit, quam ad Summam 160. aureorum annuorum, cum notum sit ea tempestate plurimos fundos incultos jacuisse, ita, ut ex hac ratione, & ob cultorum penuriam nequaquam eos fructus reddiderint, quos nunc pace tranquilla ferunt. Igitur potuit tunc pretium 160. Ducatorum pro annuis fructibus Præposituræ Stainheimensis fuisse adæquatam; nam pretia rerum æstimanda sunt pro tempore, pro quo fit contractus, vel pactum. 2. Alias pariter Sub-vel Obreptitia ob indicatum minus pretium fructuum annuorum haberi deberet etiam Bulla Urbani VI. N. 3. ubi Parochia in Stainheim incorporata est perpetuò Monasterio Reichenbacensi; nam ibi dicitur, quod redditus annui sexaginta florenorum Auri valorem annuum non excedant, ut videre est in ipsa Bulla adjectæ Duplicæ, N. 3. cum tamen certum sit, modò plus va-

lere

tere proventus annuos, qui ratione Parochia Stainheimensis tum ab ipso Vicario Parochiali, tum à Mensa Episcopali colliguntur. 3. Satis certum est, non omnia, quæ olim ad Præposituram Quæstionis pertinuerant, ad manus Ecclesiæ Augustanæ pervenisse, sed multa fuisse subducta, & alienata, quibus frui beneficio Bullæ Incorporationis eadem Ecclesia de Jure potuisset. Igitur ex eo, quòd integri Reditus, qui ad Præposituram hanc spectant, plus valeant, non debet erroris, aut falsitatis argui estimatio minor, à Celsissimo Henrico Summo Pontifici proposita. 4. In pretio isto 160. Ducatorum non est positum, nec poni debuit, quod jam antea Episcopi Augustani proprio & indubitato suo Jure possederant, nempe Jus quovis quarto anno fruendi Decimis, & aliis Præposituræ Stainheimensis proventibus; cum enim Jus istud à nemine unquam fuerit impugnatum, necesse non erat pro eo confirmando, vel de novo conferendo adiri Pontificem: sed taxa ista 160. Ducatorum facta tantum est pro Jure fructuum, quòd antehac competierat Monasterio Reichenbacensi, & quod Jus per Incorporationem perpetuum sibi fieri Episcopus Henricus petiit. Certum autem est, quòd valor istius Juris multò sit minor ob onus fructus istos quovis quarto Anno relinquendi Episcopis Augustanis, quam si dictum Monasterium quovis Anno, excluso quovis alio partem inde habente, frui Redibus istis potuisset. 5. Denique verba illa *di poca Somma* non ad Decimas, sed ad reliquos proventus trahenda sunt; nam in Supplicatione habetur: *Decime Feudali della sua Mensa Episcopale, & di più anco alcuni proventi di poca Somma annessi, e dependenti da detta Prapositura.* N. 29. Concordat ipsa Bulla Urbani VIII. Formalia: *super dictis partibus Decimarum una cum aliis emolumentis, licet valde exiguis* N. 31. &c. Quæ ultima verba melius trahi videntur ad emolumenta, tanquam vicina, quam ad ipsas partes Decimarum. Igitur licet Decimarum fructus, & reliqua emolumenta annua simul collecta valorem 160. Aureorum etiam tum temporis excessissent, non tamen propter hoc falsitatis Supplicatio, & Obreptionis Breve Apostolicum potest argui.

50. Reliquæ duæ Oppositiones, quæ in eodem quinto Argumento propositæ sunt, facilem patiuntur solutionem. Ad 2. Id Celsissimus Henricus petiit obtinere à Pontifice per Incorporationem perpetuam, quod antea per Concessionem, & beneficium Imperatoris Ferdinandi II. possederat temporaliter, & ad tempus per eventum Conditionis adjectæ, scilicet restituti Monasterii Reichenbacensis, finiendum. Certum autem est, quòd sub ista Conditione Reditus omnes Præposituræ acquisierit ab Imperatore, & acquisitos possederit. Ergo &c. Et isto, Supplicationis verba possessionem asserentia intelligenda sint de possessione Jure perpetuo.

R. P. Schmalzgrueber Consil. Tom. I.

tuo, hoc Jure Ecclesia Augustana verè possedit Decimas Quæstionis, & alios proventus; nam Frickianas Decimas saltem possedit jure Domini directi, reliquas Decimas verò, & proventus Jure quarti anni, adeoque saltem simul cum Monasterio Reichenbacensi. Verè autem possidet, qui cum alio possidet, quamvis non Jure pleno, quod Celsissimus memoratus in Supplicatione sua nunquam asseruit. Ad 3. In Vicariatu Augustano invenitur Exemplar Memorialis pro Incorporatione Urbano VIII. porrecti, cujus Copia Actis fascic. 33. Num. 11. adjacet. N. 29. in quo Memoriali omnia ritè sunt posita. Igitur error in nomine Diocesis, & Provinciæ sine Culpa Celsissimi Henrici in Cancellaria Romana incurià Scriptorum contigit. Neque error iste vitare Gratiam, & Rescriptum Apostolicum potest; quia qualitas Loci in Rescriptis tantum adjicitur per modum demonstrationis: quo modo si adjecta sit qualitas, & in ea error contingat, non obstante hujusmodi errore, Rescriptum est validum; nam etiam Legata cum ejusmodi errore valent, ut habetur

*L. si quis. 4. ff. de Legat. 1. l. demonstratio. 17. §. igitur. 1. Et l. falsa. 33. ff. de Condit. & Demonstr.*

Ratio à priori est, quia nomina inventa sunt personarum, aut Rerum significandarum gratiâ. Igitur etsi in nomine, vel aliis signis, aut qualitatibus, Rei demonstrandæ causâ adjectis, erratur, id nihil obest concessionis vel dispositioni, si de Re ipsa quolibet alio modo constet,

§. siquidem. 29. Et §. seq. Inst. de Legat. & si præsumi adhuc prudenter possit, quòd etiam sine tali errore Concessio eodem modo fuisset facta. Hoc verò in præsentis Casu prudenter præsumi potest; nam Ratio Pontificis incorporationem concedentis fuit, non quia Monasterium situm est in Diocesi Augustana, sed quia in illa sitæ sunt Decimæ, & proventus Præposituræ Stainheimensis, cujus Incorporatione solari Sanctissimus voluit damna, quæ pro defensione Rei Catholicæ passâ est Ecclesia Augustana.

Quare ad Quæstionem Num. 35. propositam, & Ad 1. Illius membrum respondetur, non posse, nec unquam potuisse Bullæ Incorporationis à Celsissimo Henrico obtentæ cum Fundamento objici Sub-vel Obreptionis vitium. Nam 1. Præsumptio Sub-vel Obreptionis cadit ex Actis, ex quibus constat, quàm sincerè, & profus illibato exuberantis bonæ fidei candore gloriam Celsissimi Antecessores processerint, 2. Ex factis ipsius Celsissimi Henrici, qui decennale perceptionem proventuum Reichenbacensium tot expensis sollicitatam, ac tandem à Sanctissimo impetratam, quæ Octoginta Talerorum millia confecerat, pro redibus Præposituræ Quæstionis cessit, eosque impetravit honestissimo sine tum sublevandi paupertatem lux Ecclesiæ, in quam illa ex publici

51.  
Deciditur  
Quæstionis  
membr. A.

publici Boni curâ se se coniecit, tum meliorem Sustentationem procurandi Parocho, vel Vicario Stainheimensi, ut magis idoneus haberi pro Cura animarum posset. N. 18.

3. Ex fidelitate in exponendo Statu Rei sollicitatæ; expositum enim Sanctissimo fuit, quòd Decimæ, & proventus Quæstionis partim tanquam feudales Ecclesiam Augustanam Jure Dominii directi agnoscant, partim verò Jure perpetuo ad eandem Ecclesiam quarto quoque Anno pertineant, & supplicatum deinde est, ut Confirmatione Pontificia, vel nova potius concessione possessio ista, & fructus fieret perpetua. Neque obest, quòd id, quod additum est, Decimas illas, & proventus olim pertinuisse ad Ecclesiam Augustanam, concessas deinde certis Laicis personis, postea alienatas per inadvertentiam, & adjectas Monasterio Reichenbacensi, jam concludenter probari non possit; fortè enim tunc temporis res erat nota, & hoc præsumi potest non immeritò ex summa integritate Supplicantis Celsissimi.

4. Ex modo impetrandi Incorporationem istam; nam impetrata est instantissimis precibus, interposita etiam Intercessione tam Augustissimi Imperatoris, quam Serenissimi Electoris Bavarix: N. 26. & concurrerunt tales circumstantiæ, in quibus si obtenta fuisset Incorporatio ipsius Monasterii Reichenbacensis; haud dubiè pro legitima deberet haberi; igitur pro legitima etiam haberi debet Incorporatio proventuum Quæstionis.

5. Ex Bulla Pontificia, quâ Collegio Ambergensi Societatis JESU Monasterium Reichenbacense (quamvis deinde Castellente datum sit) incorporatum est; nam ibi, petente hoc Serenissimo Electore Bavarix, N. 37. Incorporationis utriusque Patrono, expressè adjici jussa est Clausula, quâ ab Incorporatione in Favorem Societatis facta nominatim excepti sunt proventus Præposituræ Stainheimensis, tanquam jam antea Mensæ Episcopali Augustanæ in perpetuum incorporati.

6. Cum Cælestinus Abbas ad S. Emeramum Ratisbonæ Anno 1664. N. 43. implorato etiam Serenissimo Electore Bavarix Ferdinando Maria, proventus istos pro Monasterio Reichenbacensi, utpote quod tum jam iterum incoluerant Religiosi, petuisset à Celsissimo Augustano restitui vi Reversalium ab Episcopo Henrico datarum, ipse Serenissimus, & ipse Cælestinus Abbas post remonstrationem Incorporationis perpetuæ à Sede Apostolica factæ acquieverunt absque ulteriori contradictione; N. 45. quod utique factum non fuisset, si Sub-vel Obreptionis vitium adeò apertum esset, prout à Domino Actore contenditur.

7. Denique Anno 1669. N. 39. Nuntius Apostolicus Viennensis Informationem adæquatam de hac Incorporatione petiit cum intentione illam mittendi Romam ex Mandato Sanctissimi: data illa est, N. 40. & missa Romam, nec quidquam amplius

contra illam vel Romæ, vel alibi motum est, sed ab eo tempore supra 40. Annos usque ad Annum 1708. Mensa Episcopalis quietè proventus istos percepit. Quæ omnia satis purgant Suspicionem omnem Sub-vel Obreptionis in Bulla Incorporationis à Domino Actore notata.

### QUÆRITUR IX.

*An, & quantum Juris quoad Proventus Præposituræ Stainheimensis vi Bullæ Pontificiæ sapius memorata Mensæ Episcopali Augustanæ competat, si ponatur Bulla illa valida esse, & Sub-vel Obreptionis vitio non laborare?*

**V**ULT Dominus Actor, non obstante valore hujus Bullæ, adhuc sibi competere vel totum Jus, quod Monasterium Reichenbacense ad Reditus, & proventus Præposituræ prædictæ habuit, vel saltem ad portissimam partem illorum: quod ostendere ex sequentibus Argumentis contendit. Nam

1. Non constat de Insinuatione hujus Bullæ factæ apud Aulam Cæsaream: quam tamen videtur fieri debuisse, ut effectum acciperet. Nam Rescripta legitimo tempore non præsentata evanescent.

2. Præpositura ista cum omnibus pertinentiis jam ante aliquot Centenos annos à Fundatoribus Monasterio Reichenbacensi pro Sustentatione Religiosorum ibi DEO, & animarum Salutis interuentium in dotem data, N. 1. Imperatoriæ, Regiæ, Electorali, & aliorum Principum, ut ex Authenticis constat, Autoritate confirmata, usque ad Lutheri tempora pacificè semper possessa est. Et licet postea ad preces Celsissimi Henrici fructus istius Præposituræ ab Imperatore Ferdinando II. Ecclesiæ Augustanæ concessa sit, N. 19. tamen concessa illa est sub modo: ut restituta in integrum Monasterio, huic Præpositura hæc iterum cederetur: quæ Conditio dudum impleta est; adeoque Concessio Imperatoria cessavit: hanc autem prorogare Pontifex Urbanus VIII. nequaquam censetur voluisse; alia Restitutionem ejus Elector Bavarix Ferdinandus Maria, N. 44. à Cælestino Abbate S. Emerami imploratus, non urussit: quam petitionem postea etiam renovavit hodiernus Elector Bavarix Maximilianus Emmanuel per Literas 29. Aug. 1703. datas. N. 48.

3. Bulla præfata fundat se in qualitate feudali Decimarum, & proventuum Quæstionis, N. 31. dum pro Ratione Concessione adducit, quòd Decimæ istæ, & emolumenta tanquam Feudum jam ab antiquo ab Ecclesia Augustana descenderint, & per inadvertentiam ad Monasterium Reichenbacense, tanquam ad manum mortuam sine Solennitatibus requisitis venerint. Constat autem,

autem, quod hac qualitate Feudi ab Ecclesia Augustana profecti affecta sint sola Decima Frickiana, & si plus vellet evinci, id legitimis Argumentis oporteret probari. Igitur ad summum Bulla ista locum in Decimis Frickianis habet: imò ne in his quidem; nam in Supplicatione pro Ratione propositum fuit, quod illa ex capite deficientis legitimi possessoris jam dudum ad Dominum directum redierint, N. 23. quod etsi verum esse concederetur, tamen post promissam in Reversalibus Restitutionem proventuum omnium, effectus hujus devolutionis sublatus est, cum obligando se ita ad Restitutionem censeatur Ecclesia Augustana Juri devolutionis ad se facta renuntiassè; est autem Regula, quod Renuntiantibus Juri suo non amplius ad illud detur Regressus.

55. 4. Per dictam Bullam tantum certæ ad Præposituram pertinentes Decimæ incorporantur, & annotatur etiam quantitas Redituum, qui ex illis annuatim proveniunt, dum dicitur, quod centum sexaginta aureorum Hungaricorum valorem non excedant. N. 31. Igitur dici non potest, quod Summus Pontifex Incorporatione, & Brevi suo voluerit proventus reliquos Monasterio Reichenbacensi subducere; nam universi proventus Præposituræ istius Summam indicatam longe superant. Sequitur proinde, quod non totum Corpus Præposituræ prædictæ, sed pars tantum, eaque qualitatibus in Supplicatione, & Brevi Apostolico indicatis affecta, quæ Summam fructuum significatorum ferat, concessa per Breve hoc sit Episcopali Mensæ; neque enim Argumentum à parte ad totum valet, sed inutile est. Imò

56. 5. Bulla ista videtur esse tantum confirmatoria Juris antiqui, & antea jam competentis Mensæ Episcopali: quod ipsa formalia Bullæ memoratæ indicant; nam dicitur: *Jus prædictum, quod dicta Mensa Episcopalis super dictis partibus Decimarum ad dictam Mensam spectantibus, ut præfertur, habet, unà cum emolumentis supra dictis, eidem Mensæ Episcopali Apostolica Autoritate tenore præsentium confirmamus.* N. 31. Est autem explorati Juris, quod Confirmatio tantum sit prioris renovatio, ita quidem, ut confirmando nihil novi indulgeri possit.

*L. si donata. 36. §. Sponsus. 1. ff. de Donat. int. Vir. & Uxor. c. si quis. 1. Et ibi. Gloss. V. Confirmationem. de Confirm. util. & inutil.*

Adeoque Summus Pontifex, vel Imperator nihil novi dat, si Privilegia vetera roborat, vel confirmat.

Gaill. l. 2. Obs. 1. & seqq. Igitur plus aliquid Juris per Bullam istam obtentum prætendi non potest, quam quantum tempore istius Indulti Beneficio Imperatoris Ecclesia Augustana habuit, scilicet fructuonem administratorio Jure, sub certo

R. P. Schmalzgrueber Consil. Tom. I.

modo, & conditione concessam. Quod confirmatur; nam

6. Si per Bullam istam aliud quid, quam Confirmatio Juris antiqui, & novum aliquid, seu totius Præposituræ Incorporatio perpetua impetrata fuisset, in extraditione Monasterii Reichenbacensis, Religiosis Ordinibus S. Benedicti Anno 1669, facta, Nuntius Apostolicus Dominus Antonius Pignatellus Archiepiscopus Larissensis, vel potius ejusdem Subdelegatus Aloysius de Balbati Auditor Generalis, & Cancellarius Nuntiaturæ Apostolicæ eidem Monasterio Præposituram Stainheimensem, & hujus restitutionem non promississet Abbati ad S. Emeramum. Igitur signum est, quod solum confirmatum per eam fuerit Jus antiquum ab Imperatore acceptum, & conditionatum, ut sæpe dictum est; quod etiam indicat Instructio N. 41. ab Electore Bavarie data Commissario suo Sebastiano Anzenhofer, ubi dicitur, Præpositura ista tantum conditionate concessa, & jubetur sub ista Conditione tradi Episcopo Augustano.

Verum hæc Argumenta iterum non probant intentum. Ad 1. Haud dubie insinuatio ista Bullæ Incorporationis Romæ impetratæ facta fuerit apud Aulam Cæsaream, cum ipse Augustissimus patrocinium suum interposuerit. Si omissa illa est, propter omissionem istam valorem Bulla non perdidit, vel efficaciam; quia insinuatio ista non necessitatis, sed ad summum Urbanitatis fuit, cum Cæsareæ Aulæ, postquam ista Electori Bavarie cum Palatinatu perceptionem fructuum Ecclesiasticorum in illo cessit, non amplius interfuerit, quod per Bullam Pontificiam redditus Præposituræ Stainheimensis Mensæ Episcopali Augustanæ adjecti sint. Unde potius oportuisset insinuationem facere apud Electorem Bavarie; apud hunc autem iterum non oportebat eam fieri, cum ipsemet de Incorporatione satis sciverit, imò Author ipsius principalis, interpositis apud Aulam Pontificiam Intercessionalibus, N. 26. fuerit. Quod additur de Rescriptis certo tempore præsentandis, intelligendum est de Rescriptis Justitiæ, & tum primum, quando duo super eadem Causa sunt impetrata; nam Rescripta Gratia, ad quod genus Bulla præfens pertinet, quocumque tempore, etiam post mortem concedentis præsentari possunt, ut patet ex

*C. si super gratia. 9. de Offic. deleg. in 6.*

Ad 2. Sanctissimo supplicatum est non pro conditionata solum fructuone proventuum Præposituræ, qualem Celsissimus Henricus accepit ab Imperatore Ferdinando II. sed ut Copia Supplicationis Pontifici oblatæ habet, petitum in ea est, ut mensa Episcopalis his redditibus posthac quietè absque litis metu, æternum frui, ac possidere possit. N. 29. Cum ergo concessio semper censeatur Supplicationi conformis, nisi con-

O o 2 trarium

57.

58. Diluuntur hæc Argumenta.

59.



trarium expressè constet, etiam mens Pontificis fuit perpetuo concedere, & incorporare proventus istos. Neque ex eo, quod Imperator memoratus concessionem suam alligaverit Conditioni futuræ restitutionis Monasterii in Statum pristinum, inferri legitime potest, quod eidem Conditioni gratiam suam etiam alligaverit Pontifex; nam Imperator aliud concedere non potuit, nisi quod ipse habuit. Habuit autem & ipse tantum perceptionem temporalem Redituum Ecclesiasticorum in Palatinatu Superiore. Contrà potestatem quoad Administrationem Bonorum Ecclesiasticorum amplissimam habet Pontifex. Ergo potuit amplio-rem concedere gratiam: imò voluit; quia Supplicationē sibi propositam pro perpetua fructione ad certum, vel incertum tempus in Concessione sua non limitavit. Quod confirmatur ulterius ex Bulla Incorporationis Monasterii Reichenbacensis in favorem Collegii Ambergensis; nam si concessio Pontificia, sicut Imperatoria, fuisset limitata ad dictam Conditionem, Jus Mensæ Episcopalis jam per expeditionem istius Bullæ, si ad effectum deducta fuisset, cessasset; neque enim pro Conditione positum in Concessione Imperatoria fuit, ut proventus Præposituræ Stainheimensis redderentur, si Monasterium Reichenbacense restitueretur Religiosis S. Benedicti; sed simpliciter, si Monasterium hoc iterum possideretur à Religiosis, non distinguendo; cujus illi sint Ordinis, ut adeo per Incorporationem Societati factam, Condicio illa jam fuisset impleta. Atqui per Incorporationem istam Monasterii Societati factam non cessasset Incorporatio Præposituræ facta in favorem Mensæ Episcopalis; nam Bullæ in favorem Societatis editæ Serenissimus Elector Maximilianus expressè petit addi Clausulam, *Exceptis illis prædiis, Decimis, aliisque Bonis in Stainheim sitis, quæ jam antea per Concessionem Apostolicam Episcopatu Augustano incorporata, & tradita sunt.* N. 37. Ad quam petitionem Romæ rescriptum, ei consensisse Sanctissimum. N. 37. Quod ad Serenissimi Electoris Ferdinandi Mariæ postulatam attinet, illud impetratum est ex Subtinentia veri Status rei, nempe Incorporationis perpetuæ Authoritate Pontificia factæ, à quo proin veritatem edoctus statim cessavit; neque amplius restitutionem urisit. Idem haud dubiè fecisset hodiernus Serenissimus Elector, si petitionem suam voluisset proponere.

60.

*Ad 3.* Jam supra dictum Num. 48. Qualitatem Feudalitatē fuisse tantum Causam impulsivam, quæ licet non subsistat, non tamen vitiat gratiam, modò Causa motiva, & principalis subsistat, quæ in Casu præsentis fuerunt merita Ecclesiæ Augustanæ; expensæ ingentes in Bonum Religionis factæ, & inde orta Depauperatio, quæ Levamen non modicum exigebat. Neque ex hoc, quod de solis Decimis Frickianis constet, eas tan-

quam Feudum proficisci ab Ecclesiâ Augustanâ, benè inferitur, quod solæ illæ per Breve Apostolicum incorporatæ sint; nam Supplicatio super omnibus Decimis, aliisque emolumentis, quæ antea percipiebantur à Monasterio Reichenbacensi, formata est, N. 23. & hos omnes proventus pro Mensa Episcopali Augustana apud Pontificem petit Elector Maximilianus, eosque, licet ad certos annos Concessione Pontificia potuerit frui Reditibus Ecclesiasticis in Palatinatu, volebat idem Elector Mensæ prædictæ cedere; nam ita expressè Literæ Sanctissimo oblatæ. Formalia: *Si e contentato di lasciare al medesimo Vescovo tutti li frutti di detta Prapostura.* N. 29. Quod additur, quasi ad ipsas Decimas Frickianas Jus suum Renuntiatione perdidit Ecclesiâ Augustana, cum fundamento Juris sustineri non potest; nam Axiomâ illud, quod Renuntiantibus Juri suo non liceat ad id amplius redire, solum verum est, quando Renuntians talis est, ut possit hujusmodi Juri cum effectu renuntiare. Talis autem non est Episcopus, qui hujusmodi Juribus sine Solennitate ad alienationem Rerum Ecclesiasticarum requisita renuntiare non potest, etiam si vellet.

*Ad 4.* Jam dictum est Num. 49. de qua Re, & quomodo intelligenda sint verba di *poca Somma*, & propositum pretium 160. Aureorum annuorum. Deinde ex Bulla Pontificia aperte constat, quod à Pontifice concessa sit non tantum pars aliqua Decimarum Stainheimensium, sed omnes proventus, & emolumenta, quæ ratione Præposituræ ad Monasterium Reichenbacense pertinerant; id enim aperte evincunt verba eidem Bullæ inserta, N. 31. ibi: *suprà dictis Decimarum partibus unâ cum aliis emolumentis --- eidem Mensæ Episcopali plenissimè suffragari.* Ubi specialiter notanda verba: *Decimarum partibus*; proposuit enim Sanctissimo in Supplicatione sua Celsissimus Henricus, quod tres partes Decimarum, seu Decimæ ipsæ tribus annis percipi solitæ sint antehac à Monasterio Reichenbacensi, & pro his cum reliquis emolumentis supplicavit, & Supplicationi huic se annulisse ostendit Pontifex tribuendo Mensæ Episcopali etiam has partes cum cæteris proventibus. Atque hinc Bulla ista comprehendet omnes proventus Præposituræ, nempe præter Decimas duas Villas, Jus Patronatus, Censuræ, & reliqua Jura.

*Ad 5.* Si Bulla ista tantum est Confirmatio antiquorum Jurium, quomodo vitio Ob- vel Subreptionis laborat, cum nihil det, ut Actor contendit, nisi quod ante compete-  
tebat? Certè si nihil aliud, quam quod antehac ad Mensam Episcopalem spectabat, obtinere voluisset Celsissimus à Pontifice, Confirmatione istâ non indigebat, quippe cum Jura Mensæ antiqua ad Feudum Frickianum ratione Dominii directi, & ad cæteros proventus pro quarto quovis anno à nemine fuerint

fuerint unquam oppugnata, & juxta vetus Juris adagium id, quod meum est, amplius meum fieri non possit. Deinde quid opus erat tot Intercessionibus Augustissimi Imperatoris, & Electoris Bavariæ, si nihil novi per Bullam concessum, & antiqua solum Jura sunt confirmata? Scivit Augustissimus suam Concessionem modificatam, scivit etiam Reverales Literas, scivit etiam Elector Bavariæ, vel scire potuit, & tamen interposuerunt ambo preces suas. Igitur præter illud, quod jam antè habebat Episcopus Augustanus, & quod in Controversiam non adducebatur, voluerunt impetrare aliquid majus. Principium illud, quod Confirmatio nihil novi indulgeat, verum est, quando Confirmatio fit in forma communi: secus, quando in forma Speciali; tunc enim æquivaleret novæ Concessioni.

Suar. l. 8. de LL. c. 18. n. 10. Laym. in c. 1. de Confirm. ut. & inut. num. 5. Gonzal. ibid. num. 5. Pirhing. tit. eod. num. 4.

Talis autem Confirmatio facta fuit in præfenti, ubi antiquis Juribus adjecta est incorporatio perpetua. Et pro hac Sanctissimo in favorem Celsissimi Augustani supplicavit N. 29. Serenissimus Maximilianus Elector Bavariæ, quod verba Supplicationis manifestè indicant. Formalia: *Il medesimo Elettore supplica humilimente la Santità Vostra à degnarse con un Breve particolare di confermar al ihesso Vescovo per la sua Mensa Episcopale le sopradette Decime, frutti, e proventi; con dichiaratione anco, quatenus opus sit, di nova concessione.* Cum ergo Rescripta semper conformari Supplicationi soleant, nisi aliud quid exprimatur, Concessio præiens non erit mera Confirmatio Juris antiqui, sed novi adjectio.

63.

Ad 6. Promissio hæc Nuntii Apostolici, aut potius Delegati ejusdem non potuit præjudicare Juribus Mensæ Episcopalis per Incorporationem Pontificiam acquiritis, tum quia Authoritatem non habebant ad revocandam Concessionem Pontificiam; tum verò quia ipsa promissio ex errore facti, & defectu veræ informationis processit: quod manifestissimè ex eo colligitur; quia idem Nuntius Apostolicus aliquot mensibus post promissionem præsentam eodem An. 1669. ab Episcopo Augustano genuinam, & adæquatam Informationem primum petiit, N. 39. & cum istam sub dato 4. Febr. 1670. N. 40. obtinisset, plenè acquievit, ita, ut necipse, nec Monasterium Reichenbacense, nec Abbas ad S. Emeramum deinde quidquam amplius moverint, usque ad Annum 1708. quo ab hodierno Domino Abbate Reichenbacensi Lis super his Proventibus Serenissimo primum post 40. propemodum Annos mota est, sat claro indicio, quod ipse Nuntius Apostolicus, & Curia Romana, cui informatio prædicta transmissa est, Incorporationem perpetuam, & hac quæsitum Mensæ

Episcopali Jus ad istos proventus agnovissent. Ex simili errore facti dimanaverit etiam Instructio, quam Serenissimus Elector Bavariæ Ferdinandus Maria Commissario suo tradidit, cum aliunde constet, quod de Incorporatione instructus, à petitione restitutionis destiterit, nec Parentis sui facto contravenire voluerit.

Quare ad Quæstionem Num. 52. propositam dicendum omnino est, vi Brevis Apostolici à Pontifice Urbano VIII. emanati Mensam Episcopalem Augustanam meritissimo Jure sibi vindicare proventus universos Præposituræ Stainheimensis. Nam 1. Fructus hos omnes à Pontifice pro Ecclesia Augustana petiit, & eidem cedere voluit Serenissimus Elector Bavariæ Maximilianus, ut patet ex verbis supra allegatis *Tutti li frutti di detta Præpositura.* N. 29. Solet autem Gratia conformari Supplicationi, sicut iteratò dictum est, & quod reipsa conformata Supplicationi illa fuerit, patet ex verbis Bullæ N. 31. ubi conceduntur *Decima una cum aliis emolumentis*, nihil excipiendo. 2. Ista Bullæ verba non solum sunt Confirmatio Juris antiqui, sed concessio novi; nam talis petita est, prout ostendunt verba Supplicationis N. 29. ibi: *Con dichiaratione anco, quatenus opus sit, di nova concessione.* Nec concessionem hanc limitant verba *di poca Somma & taxatio pretii* reddituum annuorum ad 160. Aureos; N. 31. nam verba ista, ut ostensum est, ad emolumenta, non verò ad Decimas referenda sunt: & si etiam referrentur ad Decimas, nihilominus vi Bullæ conformiter ad preces Episcopi Henrici, & Intercessionales Literas Maximiliani Electoris Bavariæ præter Decimas etiam concessa sunt *omnia reliqua emolumenta.* Nam 3. Reditus Præposituræ Stainheimensis petiti sunt à Sanctissimo, sicut antè concessi, possessique sunt temporaliter ex beneficio Imperatoris Ferdinandi II. ab hoc autem concessi sunt omnes redditus, prout patet ex Decreto Cæsareo emanato 7. Januarii 1627. ibi: *Obz berührte zwey Hof zu Stainheim mit all ihrer Ein- und Zugehör, und den vössligen Zehend daselbst samt allen und jeden Nutzungen s s s so von ermeldter Probsten Stainheim ernenntes Closter zu Reichenbach gehabt.* N. 19. Videatur Falcic. Actor. 31. N. 38. Neque dici potest, quod Concessio Pontificia etiam ipsa fuerit temporalis tantum. Nam 4. Quod perpetua hæc Concessio fuerit, patet imprimis; quia pro perpetua Incorporatione fuit supplicatum; ibi: *Episcopus prædictus humillimè supplicat Sanctitati Vestra, quatenus dignetur benignissimè per Apostolicum Breve confirmare, ut - - - Jure omnium prædictarum Decimarum, & proventuum caterorum, in quorum exigendi, & percipiendi possessione existit, etiam posthac quietè, absque litis motu, aternum frui, ac possidere possit.* N. 23. Neque dici potest, quod Bulla Concessionis Sub-

64.  
Deciditur  
Quæstio.

vel Obreptitia fuerit; nam contrarium jam supra ad *Quaest. prac.* est ostensum: & §. Denique si Obreptitia Bulla hæc fuisset, tamen cum tanto tempore (nam plus quam nonaginta Annis reditus, & proventus istos Mensa Episcopalis occasione Bullæ istius possedit) Bulla ista ex Sub-vel Obreptionis vitio non fuerit impugnata, merito dici potest, quod Jus ad illos, si non ex ipsa Bulla, saltem viâ Præscriptionis sit acquisitum; nam Bulla ista, esto, Sub-vel Obreptitia fuisset, cum tamen vitium illius non sit, nec fuerit liquidum, saltem præbuit titulum coloratum, cui cum accesserit possessio ferè centenaria, & hæc nunquam interrupta (nam interpellatio illa ab Abbate S. Emerami facta, postquam informationi de Incorporatione Apostolica acquievit, possessionem non interrupit) præscriptio ipsa intra hoc tempus ferè Centenarium videtur esse completa. Est autem Juris explorati, quod Præscriptio dominium Rei bona fide, per tempus legitimum, & ex titulo colorato, vel existimato possessæ transferat in possidentem. Ergo &c.

### QUÆRITUR X.

*Quale remedium apprehendi possis, & debeas, ut sistatur Executio Sententia, que fortè post lapsum bimestris ab ea lata sequetur, & simul subveitur tum Causa Principalis quoad Judicium Petitorium, tum Exceptio Fori Declinatoria contra Judicium Imperiale Aulicum hæcenus proposita, & repetita?*

65. **D**ifficultas tale Remedium inveniendi est maxima, quippe cum  
*In Ordin. Judic. Imper. Aulic. tit. 5. §. 17.*

à Ferdinando III. Imperatore statutum sit, ut quod aliquando in Contradictorio Judicio à Curia hac suprema Imperii cum Causæ cognitione, Sacræ Cæsareæ Majestatis præscitu, & servato Juris Ordine tractatum, atque decisum est, omnino persistat, eidem pareatur, illudque à nemine alio novæ Cognitioni subdatur, aut Executio ejusdem impediatur.

66. **R**emedia, quæ Sententiæ Executionem certò sistunt, eamque vel suspendunt, vel omnino tollunt, sunt 1. Transactio cum Parte colligante. 2. Appellatio. 3. Remedium Nullitatis. 4. In integrum Restitutio. Primum ut Mensa Episcopalis arripiat, non est consultum, tum quia hujus Remedii electio præ se ferret aliquam diffidentiam circa Justitiam Causæ, quam tamen optimam ex parte dictæ Mensæ ostendimus stare; tum verò, quia Pars adversa, quod vi Sententiæ in Consilio Imperiali Aulico nuper lata in Possessorio vicerit, Lite non cedit, nisi grandi admodum summâ refusa, vel magnâ parte de rebus Præposituræ retori-

tâ, in quam conditionem ut Ecclesia Augustana consentiat, non est suadendum, cum ex deductis liquidò constet, quod victoriam in tota Causâ Jure meritissimo sperare possit.

Secundum Remedium, scilicet *Appellatio* in præsentî Casu locum non habet; quia Judicium Imperiale est unum ex Supremis duobus Tribunalibus Imperatoris. In Supremis autem Tribunalibus eminere censetur Autoritas ipsius Imperatoris, & Principum Supremorum, quorum nomine instituantur hæc Tribunalia, & Sententiæ in his proferruntur.

*Tholos. l. 5. Partit. Jur. Canon. tit. 15. n. 73. Marant. p. 6. tit. de Appellat. n. 251. Haunold. Tom. 5. de J. & J. tract. 5. n. 338. Vallens. tit. de Appellat. §. 3. n. 3. Pirhing. ibid. n. 81. & alii passim.*

Igitur sicut ab Imperatore, aliòve supremo Principe, aut Magistratu Superiorem non recognoscente Appellatio non permittitur, ita nec ab eorum Supremis Tribunalibus, & Parlamentis.

*Can. ipsi sunt. 16. Et can. cuncta. 17. caus. 6. q. 3. l. tractandum. 1. §. & quidem. 1. ff. à quib. appell. non licet.*

Ratio est, quia de substantia Appellationis est, ut fiat ab Inferiore ad Superiorem, cum par in parem, & inferior in Superiorem potestatem non habeat, vel Jurisdictionem, ut illius factum, vel errorem corrigere possit. Qui autem nullum recognoscit Superiorem, majorem non habet.

Excipitur quidem, si Sententia Principis Sæcularis manifestam contineat iniquitatem; tunc enim appellari potest ad Papam.

*Arg. Gloss. in c. ex transmissa. 6. de for. compet.*

Quia Papa ratione peccati omnium talium Principum est Judex competens. Sed manifestam iniquitatem ostendere erit in Casu præsentî fortè difficile, imò allegare illam contra adeò excelsum Tribunal reputabitur injuriosum.

Tertium *Nullitatis Remedium* videtur esse pinguisimum; nam per istud Sententiæ, si illa nondum executioni mandata sit, Executio differtur.

*Struv. ad ff. Exerc. 50. Thef. 20. Müller. ad eundem ibid. Lit. a.*

quia frustraneum esset Executionem intendere, quæ mox revocanda esset.

*Arg. l. hac stipulatio. 14. §. Divus quoque. 1. ff. ut legator. vel fideicommiss. servand. caus.*

Nec plus ad effectum Suspensivum Executionis Sententiæ obtinendum requiritur, quam duo ista: primum, ut Causæ Nullitatis in Libello specificè, ac nominatim exprimantur.

*Ordin. Camer. Spirens. de Anno 1527. §. 23. 7. Sollen die Procuratores die Ursachen der Nullität neben der Inquisition in der Klage specificè außdrücken.*

fen. Ordin. Cam. part. 3. tit. 34. §. und sollen die Procuratores. Berlich. part. 1. concl. 61. n. 10. Mollenbec. ad ff. tit. de Appellat. fol. 1658.

70. Alterum, ut ipsa Nullitas ex actis sit notoria, vel in continenti probari possit.

*L. latam. l. 1. C. quand. provocar. non est necess.* Gaill. l. 1. obs. 113. num. 2. Matth. Coler. de Process. Execut. part. 4. c. 1. n. 87. Carpov. Jurispr. Forens. part. 1. const. 26. def. 22. num. 3. Struv. ad ff. Exerc. 5. thes. 20.

Secus est, si talis allegetur Nullitas, quæ longiorem desiderat Causæ cognitionem; tunc enim Executio Sententiæ non suspenditur.

Vant. Rubr. quos, & quib. mod. n. 29. Gaill. obs. cit. n. 3. Berlich. concl. 61. cit. num. 11. Struv. thes. 20. cit. Müller. ad eundem thes. cit. Lit. 7.

Nam tunc Præsumptio est pro validitate Sententiæ, donec de Nullitate, quod raro fit, convincatur.

71. Non debet tamen istud intelligi de omni Causæ cognitione, sed de prolixa solum, quando scilicet Querela dubia, & obscura est, & altiolem, ac prolixiolem habet tractatum, quam ut in continenti probari possit.

Mynsing. cent. 4. obs. 64. Gaill. l. 1. obs. 117. n. 10. Wurmsler. tit. 24. obs. 34. Berlich. concl. 61. cit. n. 11. Carpov. lib. 2. Resp. 94. n. 15. Müller. Lit. 7. cit.

Porrò notoria, & evidens censetur esse Nullitas, si statim appareat; in continenti verò dicitur probari, si intra terminum executionis probetur.

*L. in hac actione. §. ibidem. l. 3. ff. ad exhibendum.* Berlich. concl. 61. cit. n. 17. Carpov. part. 1. Jurispr. Forens. const. 26. def. 22. n. 3. Müller. thes. 20. cit. Lit. 7.

Imò si Nullitas surgat ex defectu Jurisdictionis, ut in Casu præsentis, ad ejus Probationem, & ad Effectum suspendendæ Executionis conceditur etiam diuturnior mora.

Nicol. Calvol. Process. Judic. §. 24. concl. 1. n. 32. & seqq. Müller. l. cit. Lit. 7.

72. Expeditum autem, & optabile in præsentis Controversia videtur Remedium istud.

1. Quia Probationes Nullitatis habentur in promptu; allegatur enim pro causa Nullitatis Incompetentia Fori, quæ satis constat tum ex parte Personæ conventæ, tum ex parte Causæ, cum, ut ex hæcenus deductis apparet, Actor non tantum Possessorium instituerit, sed hoc simul cum Petitorio cummulaverit: quo casu Judicium Aulicum Imperiale apertè est Judex incompetentis quoad Decimas, & proventus Questionis, quippe quarum Causa inter Spirituales censetur. 2. Quia sic impeditur, & suspenditur Executio, lucrumque fit temporis pro Exceptione Fori Declinatoria ulterius deducenda, &

Probationibus proponendis, quòd in præsentis Controversia non agatur in mero Possessorio, sed mixto cum Petitorio. 3. Quia per intentionem istius Remedii non præjudicatur aut Causæ principali in Petitorio, aut Exceptioni Fori Declinatoriæ hæcenus oppositæ; hoc ipso enim, quòd contendatur, Sententiam esse nullam ex defectu Incompetentiæ Judicis, Jurisdictionis illius non agnoscitur, nisi ad effectum cognoscendæ Exceptionis, quod nullum fert præjudicium, cum cujuslibet Judicis sit cognoscere, an sua sit Jurisdictionis.

Verum etiam hoc Remedium, licet tutissimum aliàs, & pinguisimum esset, quippe quod, ubi Nullitas est insanabilis ob defectum Personæ, & capacitatis in Judice ad cognoscendam Causam propositam, usque ad 30. Annos proponi potest, cum non sit major Nullitas, quam quæ ex defectu Jurisdictionis descendit, utpote quo casu omnia retrò acta nulla efficiuntur.

Recess. Imp. noviss. de Anno 1654. §. Bey den jenigen Nullitäten. 122.

In hoc tamen difficultatem habet; quia hoc Remedium intentantes in Judicio Aulico, & Camera Imperiali non facile audiuntur.

Klock. relat. Camer. 30. n. 137. Uffenbach. vom Reichs- & Hofrath. cap. 23. sect. 1.

Quare ex quatuor hæcenus propositis videtur superesse

Quartum Remedium Restitutionis in integrum: quod videtur hæcenus relatis præeligendum, non quidem in Causa Principali, & adversus Sententiam Definitivam latam in Possessorio, ne ista per hoc censeatur agnosci pro valida; sed ut ulterius detur locus Exceptioni Declinatoriæ Fori in hac Causa merè Spirituali: quo facto plus Jurisdictionis non conceditur in Causa ista Judicio Imperiali Aulico, quam quod Judici cuivis incompetenti, vel qui arguitur esse incompetens, concedunt Jura, nempe ut cognoscat, an sua sit Jurisdictionis; adeoque ex intentione hujus remedii in Ecclesiam Augustanam maxima derivatur utilitas.

Nam 1. Per eam Jurisdictionis Judicis incompetentis non agnoscitur pro competente in Causa Principali, nec Jurisdictionis illius in hanc prorogatur. 2. Probata hac Exceptione, hoc ipso cadit Sententia adversus Serenissimum Episcopum Augustanum lata, cum ex isto apertè pateat illius Nullitas: & sic idem consecutivè obtinetur, quod obtineretur, si Restitutio in integrum adversus ipsam Sententiam directè intentaretur. 3. Hoc modo fit lucrum temporis ad parandas ulteriores, & uberiores Probationes. 4. Sic evitatur multa pecuniaria, quæ aliàs ab appellantis, & Revisionem Actorum petentibus pendere debet. 5. Item Executio Sententiæ impeditur, & suspenditur usque ad plenam deductionem Exceptionis

73.

74. Restitutio in integrum.

75.

ptionis Fori Declinatoriæ oppositæ. 6. Finito isto Processu, via patet nihilominus ad apprehendendum Revisorium, vel Petitiorium ubi ubi deinde instituendum.

76.

Neque obest, quod Restitutio in integrum causas antea non deductas, nec in iudicando ponderatas exigat, easque veras, & relevantes.

Berlich, *Decis.* 165. & 219. Klock. *Relat. Camer.* 30. §. 6. & l. 3. tit. 6. §. 10. Textor. *Decis. Palat.* 14. notab. 3. & seqq. Lauterbach. ff. *qua sent. fin. appell. rescind.* §. 9.

Non enim deerit occasio plura nova, & hætenus non deducta deducendi: & talia revera sunt pleraque, quæ in præsentis Responsio deducta sunt, ubi plurimum considerabiles circumstantiæ proponuntur, ex quibus reformatio Sententiæ obtinenda spectetur sine offensa Referentium; cum enim qualibet circumstantia mutet Casum, quidni etiam novæ Rationes reforment Sententiam in meliorem, & magis consentaneam æquitati?

### QUÆRITUR XI.

*Anposito, quòd Revisio in Consilio Imperiali Aulico habeat Effectum suspensivum, Remedium ab hac quæsitum præferri debeat Remedio Restitutionis in integrum?*

77.

**R**Esp. affirmative; quamvis enim in integrum Restitutio juxta dicta ad *Quæst. præc. n. 75.* plurima habeat commoda, quæ suadere possint, ut hæc via ad impetrandam Sententiæ in Consilio Imperiali Aulico contra Serenissimum latæ rescissionem arripiatur, si tamen hæc commoda cum commodis, quæ secum affert Revisio, conferantur, consideratis circumstantiis Casus præsentis, videntur ista prioribus anteposenda. Nam 1. Remedium Restitutionis in integrum est Rescissorium, consequenter supponit valorem Sententiæ, & agnoscit Jurisdictionem Judicis, à quo hæc lata est. Contra Remedium Revisionis à valore Sententiæ latæ, vel hujus Nullitate abstrahit; nam locus illi est, etiamsi Sententia ex quacunque causa invalida fuerit. 2. In integrum Restitutio, juxta Jura vulgata, novas Causas, antea non deductas, nec in iudicando ponderatas exigat, easque veras. Contra Revisio datur etiam ex causis jam antè adductis in prima Instantia, modò illæ ejus sint ponderis, ut Revisionem petentis intentionem evincant. 3. In Judicio, quo Restitutio in integrum sollicitatur, manent iidem Referentes, & Correferentes, qui fortassis non adeò facile mutabunt Sententiam suam; in Revisorio autem constituuntur novi, iique à partium studiis, & horum suspicione

alieni, à quibus proin spes major concipi de victoria in causa poterit.

Ex his Commodis, & Revisionis à Restitutione in integrum differentia non una in præsentem Controversiam redundat utilitas. Nam 1. Manet salva Exceptio Fori Declinatoria, neque valor sententiæ latæ agnoscitur; sed tantum petitur, ut revideantur Acta, & secundum hæc pronuntietur, num in Causa ista, quatenus, & quantum hætenus actitata est, Judicium Imperiale Aulicum Jurisdictionem fundatam habeat. 2. Quamvis non paucæ in Deductione præsentis causæ novæ allatæ sint, non tamen est adeò certum, utrum pro novis in Judicio Aulico memorato agnoscendæ sint, quod si contra spem eveniret, remedium hoc Restitutionis in integrum Serenissimus illud petens non obtineret. 3. Cum in Deductione ista Juridica expressius allatæ sint causæ, quæ Exceptioni fori Declinatoriæ à Serenissimo oppositæ favent, & simul secus, ac in Exceptione, Duplicâ, & Quadruplicâ fieri poterat, adduci potuerint etiam ea, quæ ad merita Causæ pro Petitório spectant, his instructi Referentes novi sincerius æquitatem causæ valebunt agnoscere, & Consilium Aulicum de hac per DD. Referentes propositâ judicare: ut adeò his consideratis, Revisio, modò Effectum suspensivum habeat, non obstante obligatione ad deponendas Sportulas, quippè quæ ad eventum victoriæ recuperantur, videatur esse Remedium pinguius, & Restitutioni in integrum præferenda.

Dixi autem, *Modò effectum suspensivum habeat*; nam utrum vim suspendendi Executionem Sententiæ de facto obtineat, disceptatur inter DD. Affirmant

Gaill. l. 1. *obs.* 154. n. 3. & 4. Heig. p. 1. q. 10. num. 63. Hiltrop. *Process. Jud.* p. 4. tit. 16. n. 9. Carpzov. p. 1. *const.* 20. *def.* 16. Rauchb. p. 2. q. 6. n. 31. & eò etiam collineant Maurit. *Exerc. Jur. Publ. de Judic. Aul.* Nicol. *Process. Judic.* p. 3. t. ult. §. 24. Fritsch. *Exerc. var. J. P. vol. ult. p. 2. Exercit. 5. circa fin.* Sprenger. *Consonant. Judic. Aulic. & Cameral.* Textor. *ad Revers. Imp. nov. de An.* 1654. D. 13. thes. 62. Schweder. *Introd. Jur. Publ. part. special. sect. 1. c. 11.*

Unde Remedium hoc eorum, qui Rei judicæ autoritatem eludere fatagunt, asyllum appellat

Merckelb. *apud Klock.* vol. 1. *Conf.* 46. num. 9.

Fundatur 1. Quia sic constitutum est in *Ordin. Camer.* p. 3. tit. 53. §. 4. ubi disponitur, quod pecunia deposita, casu quo Sententia revidenda nullitatis, vel iniquitatis arguatur, provocanti restituenda, & sententia reformata in Camera executioni mandanda sit: unde necessario sequitur, tantisper Executionem prioris Sententiæ suspendi, donec, Causâ cognitâ, constare possit.

fit, utrum Sententia revidenda, confirmanda, vel reformanda, & tunc demum executioni mandanda sit: quæ dispositio, etsi quoad Revisionem in Camera Imperiali per

Recess. Imp. Noviss. 1654.

immutata sit, & Revisioni in hoc Judicio Effectus suspensivus sublatus, tamen

81.

2. Dispositio ista, tanquam correctoria, ad Supplicationem Judicii Imperialis Aulici non videtur extendenda, quippe cui effectum suspensivum tribuit

Ordin. Judic. Aul. Ferdin. III. tit. 5. Instr. Pac. Westph. art. 5. §. quoad Proceff.

Cui dispositioni non obstat, sed potius eam confirmat,

Capitulat. Caf. Leopold. I. Art. 42. ibi: Und nirgends anders: von neuem in Cognition gezogen, noch dessen Execution gehindert.

Nam Exceptio intermedia ibi posita per Formalia: Es seye dann durch den Ordentlichen Weeg deren in offtermeldten Fridehenschluß beliebter Revision, ubi non obscure innuitur, posse scilicet Decreta Judicii Aulici & noviter venire in cognitionem, & in illis executionem suspendi, interposita Revisione illa, sive Supplicatione per Instrumentum Pacis inducta.

82.

3. Status Imperii, ut refert

Uffenbach de Consil. Imper. Aul. c. 23. fol. 269.

in Comitibus Annorum 1653. & 1654. nullo modo consentire voluerunt, ut Supplicatio Aulica amittat Effectum suspensivum, sicut revisio Cameralis; cum ergo versetur in correctorio, tanto minus Cassatio Effectus suspensivi in Revisione extendenda erit ad Supplicationem Aulicam.

Arg. l. precipimus. 32. fin. C. de Appell.

Qua interposita, suspenduntur Judicii Aulici Decreta.

83.

4. Accedit Praxis, efficacissima alias rerum Magistris; nam plurima habentur Præjudicia, ex quibus constat, quod Executio per Revisionem, seu Supplicationem in Judicio Imperiali Aulico interpositam suspensa fuerit. Ita enim factum in causa Verkauf contra Brandenburg Anno 59. teste

Gaill. l. 1. obs. 154. n. 4.

Item in Causis Principis de Lichtenstein contra Principem Frisæ Orientalis, & Knipphausen contra Knipphausen apud

Uffenbach l. cit. §. Uber diese alles.

Et novissime in causa Lottichiana, in qua cum Cathedra Augustana adversus Sententiam contra se latam provocasset ad Remedium Supplicationis, seu Revisionis Aulicæ, Executio per eam suspensa est.

84.

5. Denique Argumentum ex æquitatis ratione affert

Gaill. n. 4. cit.

quia, ut ait, quod pendente Revisione Executio suspendatur, publicè utile est, ne repetita Executio, præsertim inter Status Im-

R. P. Schmalzgrueber Consil. Tom. I.

perii, turbas excitet, & futuris scandalis occasionem præbeat. Addit, moram istam Victori non multum molestant, sed ob id leviores, & tolerabiliorem esse debere, quod tempus revidendi brevioribus finibus ex Ordinatione Cameræ, quam Juris communis beneficio circumscribatur. Ut adeo his consideratis, videatur Revisioni Aulicæ Effectus suspensivus negari non posse, modò ad eam provocans cautionem idoneam præstet, & Sportulas deponat.

Sed contra Revisioni tam in Camera, quam in Judicio Aulico Imperiali interpositæ hodie post præstitam in succumbentiæ casu à Victore in prima instantia, contra quem impetrata est revisio, idoneam cautionem regulariter Effectum devolutivum duntaxat competere contendunt

85.

Ummius. Process. D. 23. n. 34. Lauterbach. ad ff. qua sent. fin. appell. rescind. §. 7. Bender. de Revis. Act. c. 20. 21. & 22. per tot. Merckelb. apud Klock. vol. 2. Conf. 100. Roding. in Pandect. Camer. tit. 61. Uffenbach de Judic. Aul. c. 23. sect. 4. fol. 269. Schütz. Jur. Publ. lib. 3. tit. 9. Post. 3. & 4. Müller. ad Struv. Exerc. 50. thes. 28. Lit. e. Author Brevic. Prax. Imper. Aul. tit. 59. §. 8. Author Manual. Process. Imper. c. 12. de Revis. quibus accedit ipse SchWeder. l. cit. ubi mutat Sententiam suam, & adhæret negantibus Effectum Suspensivum.

Imò Revisionis Remedium à Judicio Imperiali omnino exulare defendunt.

86.

Merckelb. apud Klock. vol. 2. Conf. 25. n. 17. Et Conf. 82. n. 26. Müller. ad Struv. l. cit.

Sed hi Quæstionem de nomine faciunt, dum Revisionem negant, Supplicationem admittunt, cum Nomina ista modò ferè inter se confundantur. Clarum autem est, in Judicio Imperiali Aulico Supplicationi locum esse; nam hoc aperte constat ex

Ordin. Jud. Aul. Ferd. III. de An. 1654. tit. 5. Dafen sich ein, ibi: So soll anstatt der bey der Cammer üblichen Revision dem gravirten Theil erlaubet seyn von dem im Hofgericht gefällten Urtheil an uns zu suppliciren.

87.

Potè negantes Revisioni Aulicæ Effectum suspensivum fundantur cit.

Ordin. Jud. Aul. dict. tit. 5. §. 6.

ubi expressis verbis est constitutum, ut modus procedendi præscriptus in

Instrum. Pac. Westph. art. 5. §. 20. v. 3. pro Beneficio locò Revisionis introducto in Judicio Aulico observetur. Constitutum autem est in Instrum. alleg. loc. cit. ut in Judicio Aulico Ordinatio Camera Imperialis, & quidem quoad Processum Judicarium servanda veniat per omnia. Igitur sicut per Recess. Imp. noviss. revisio Cameralis amittit Effectum suspensivum, ita & revisio, seu Supplicatio Aulica.

P p

Con-

88.

Confirmari hoc ex Praxi, & Observantia hodierna, juxta quam teste

Uffenbach *l. cit.* §. Ob nun.

in Judicio Aulico Ordinatio Camerae novissima quoad negatum in hac Revisione Effectum suspensivum pro Regula habetur, & Executio, non obstante Revisione, modo pars, contra quam revisio decreta est, idoneam prius cautionem praestiterit, procedit, sicut in Camera. Praejudiciis Num. 83. allegatis idem

Uffenbach *l. cit.* §. Wiewohl einige.

opponit plura contraria, ubi admissa Revisione in Judicio Imperiali Aulico, non tamen propterea suspensa est Executio: quibus accedunt novissima alia in Causa Leiningen Schadeck contra Leiningen Westenburg, Item in Causa Glaubitz contra Rüggen, & plura recentiora.

89.

Sed quidquid sit circa Causas merè profanas, & temporales, certum tamen est ex

Recess. Imp. Noviss. 1654. §. 124. §.

Wie dann auch.

quòd in Causis Spiritualibus, inter quas etiam numerari debet Causa Decimarum, qualis praecipue est praesens, in Camera adhuc Effectum suspensivum habeat revisio. Igitur cum revisio in Camera, & in Judicio Imperiali Aulico pari passu ambulent, eundem Effectum habebit etiam revisio in Judicio Aulico. Neque istud intelligi potest

de Judicio tantum Petitorio; nam in hoc tam Judicium Camerale, quam Aulicum Imperiale sibi Jurisdictionem nullam competere ipsomet fatetur quoad Causas Ecclesiasticas. Igitur intelligi debet de Sententia lata in Possessorio. Habebit ergo revisio interposita adhuc hodie Effectum suspensivum, quotiescunque Causae Spirituales in Possessorio ad Camera (consequenter etiam ad Judicium Aulicum) devolutae sunt. Atque ita expressè docent

Brunnem. *Process. Civil. c. 28. num. 118.*

Et *Jur. Eccl. l. 3. c. 10. §. 22.* Müller,

*ad Struv. Exerc. 50. thes. 28. Lit. e.* cum aliis.

Quare cum in praesenti Causa, ut fatetur ipsamet Consilium Imperiale Aulicum, pronuntiatum sit in solo Possessorio, & quidem non simpliciter, sed tantum conformiter ad Reversales Literas Augustanas, in Petitorio autem Causae hujus cognitio pertinet privative ad Forum Ecclesiasticum, cum certa spe Effectus suspensivi implorari poterit revisio Aulica, seu Supplicatio fieri ad Imperatorem.

Et hoc est, quod expensis diligenter Actis, & meritis Causae, collatoque in commune Consilio, Juris esse per unanimita judicavit integra Facultas Juridica in Alma, & Episcopali Universitate Dilingana, salvo tamen Judicio melius sentientium.

## CONSILIUM XXXVI.

## Reflexiones ad Momenta contra Mensam

Episcopalem Augustanam à Reverendissimo Abbate Reichenbacensi in Causa Praepositurae Stainheimensis proposita.

## SUMMARIUM.

1. & 17. Litera Reversales mutato rerum statu non obligant.
2. & seqq. 18. & seqq. Censendus est Pontifex concessisse omnes Reditus Praepositurae in perpetuum.
5. 21. Indultum Pontificis in hoc negotio non potest dici Ob-vel Subreptitium.
7. 23. Ex eo, quòd Pontifex noluerit dare totum, non infertur noluisse dare partem.
8. 24. Concessio Pontificis censetur conformis Supplicationi.
9. 25. Error probabilis non vitiat rescriptum, praesertim si sit solum causa impulsiva.
10. 26. Felonia iniqui usurpatoris dedit saltem occasionem petendi consolidationem Dominiis utilis cum directo.
11. 27. Rejicitur duplex Compositionis modus.
12. 13. 28. 29. Forum Casareum in hac Causa non potest agnosci.
14. 30. Fundamenta Monasterii non videntur conformia SS. Canonibus.
15. 31. Consilium Canonicum in hac Causa datum non videtur extra Chorum cantare.
32. Efficax argumentatio pro Mensa Episcopali.
33. Possunt in Judicio Revisorio nova documenta produci, sine quibus justa sententia ferri nequit.
34. Et qua ipse Judex debuisset procurare ex Officio.
35. Ad probandam Exceptionem fori Declinatoriam probationes in quacunque Litis parte proponi possunt.
36. Adduci possunt in Revisorio ea, sine quibus sententia lata nec confirmari, nec reformari potest.
37. Praecipue cum ista, quorum rejectio petitur, nihil novi continent.

Moment-

## Momenta Adversæ Partis.



Contendit Reverendissimus Abbas Reichenbacensis, Præposituram Stainheimensem, non obstantibus à Mensa Episcopali contra oppositis, omni Jure sibi deberi, sicque restituendam sibi esse, ex sequentibus Fundamentis.

1. Quia Episcopo Henrico Præpositura ista tantum ad interim, & Jure administrativo à S. C. Majestate concessa est, sub obligatione, ut in casum, quo Monasterium Reichenbacense iterum à Religiosis incoleretur, etiam Præposituram hanc ipse restituat, quam obligationem laudatus Celsissimus, datus Reversalibus, in se recepit. Neque dici potest, quòd per Breve Urbani VIII. mutata sit causa possessionis, & Jus temporaneum, à S. Cæsarea Majestate concessum, mutatum in titulum perpetuum; quia

2. In hoc Breve Apostolico de Incorporatione perpetua istius Præposituræ cum dependentis ne apex quidem reperitur, utpote per quod tantum Jus antiquum, quod Mensa Episcopalis circa Feudales quasdam Decimarum partes in Pago Stainheim habebat, & in cujus possessione juxta tunc exposita constituta erat, confirmatum est, ut proinde vi Bullæ istius, aut Brevis plus Juris arrogare sibi memorata Mensa non possit, quam antea eidem competierit, nempe ut quovis quarto anno Reditus Præposituræ ipsa colligat, tribus verò reliquis annis Monasterio Reichenbacensi eosdem relinquat. Si verò

3. Eadem Mensa confugere velit ad Concessionem Cæsaream, quæ universi proventus sæpè dictæ Præposituræ Celsissimo Henrico Episcopo concessi sunt, & ex hac Concessione eruere Jus ad universos Reditus, contra est, quia cum Concessio hæc fuerit restricta ad tempus, quo Monasterium, Religiosis restituis, poneretur in statu pristino, neque Breve Apostolicum, concessionem istam confirmans, aliud dare potuit, quam quod, & quo modo per dictam Concessionem Cæsaream Mensa Episcopalis Præposituram controversam possedit; nam Confirmatio plus Juris non tribuit, quam quod quis antea habuit. Imò

4. Breve istud ad hanc Cæsaream Concessionem, & Possessionem, vi illius obtentam, extendi nequit; quia in eo neque de Concessione ista, neque de Jure Patronatus, cæterisque Præposituræ proventibus ulla fit mentio, sed tantum de Decimis, & aliis quibusdam emolumentis valde exiguis, ad Summam centum sexaginta circiter Ducatorum Hungaricorum ascendentibus, quod si intelligeretur de universis Reditibus, veritati consentaneum nequaquam foret; quia ex Rationibus, quæ ad manum sunt, constat, quòd jam eo tempore, quando occasione Belli tum acerrime grassantis plures agri, fundique

R. P. Schmalzgrueber Consil. Tom. I.

cultorem non habuerunt, Proventus annui Præposituræ Stainheimensis ad 1300. Fl. ascenderint: consequenter

5. Si Breve memoratum extenderetur ad Proventus annuos universos, ex defectu veritatis à Sub-vel Obreptionis vitio excusari illud non potest. Quare cum Brevia ejusmodi Pontificia, ad modò dictum Sub-vel Obreptionis vitium evitandum non aliter intelligi possint, nisi in quantum preces Supplicantis veritate nituntur, præsertim quando, ut fit in Casu præsentis, de præjudicio tertii agitur,

6. Idem Breve ad aliud extendi non potest, nisi ad quæ sese verba Supplicantis cum veritate extendunt, scilicet ad proventus cuiuslibet quarti anni; nam isti respectivè ad universos reditus pro exiguis haberi possunt, & in horum possessione solummodo Mensa Episcopalis ab antiquo extitit: quòd confirmatur etiam ex eo, quia

7. Abbas, & Monasterium Reichenbacense pro se Præsumptionem habet, quòd Sacra Sedes, sicut Incorporationem totius Monasterii petitam negavit, ita ex post facto etiam non intenderit, partem Bonorum ipsi priorum ab ipso avellere, & Episcopali Mensæ perpetuò incorporare. Sed neque dici potest, quòd saltem ad Decimas illas, *der Sticken-Zehend* appellatas, Concessio Pontificia extendi debeat; nam

8. Licet Decimæ istæ Feudales sint, consequenter in eas cadat Qualitas Feudalitatibus in Brevi assera, tamen quoad Dominium utile, Monasterio quoad illas ab antiquo competens, nihil videtur in eo Breve immutatum; Breve enim istud solum confirmat Jus antiquum, quod Episcopus habuit. Habuit autem quoad istas Decimas solum Dominium directum. Consequenter Dominium istarum utile, verificata jam conditione, sub qua Imperator Mensæ Episcopali Proventus Stainheimenses concessit, cum cæteris juribus, & emolumentis juxta dictam Cæsaream Concessionem ad Monasterium Reichenbacense redire debet.

9. Opponitur quidem à Mensa Episcopali, quòd Decimæ istæ quoad Dominium utile absque solennitatibus requisitis alienatæ sint, ut proinde ob hunc solennitatum defectum alienatio ista, tanquam viribus destituta, revocari debeat. Sed inprimis defectus iste probandus est: deinde si revera solennitates requisitæ non fuissent adhibitæ, Jus utile Monasterio confirmarent Infeudationes postea fecutæ, & Laudemia ex hac ratione præstita Mensæ Episcopali ab Officialibus Præposituram administrantibus, quibus solennitatum defectus abundè suppletur, & rectè infertur, quòd per ejusmodi Infeudationes, Laudemiorum acceptionem, & Vasalli præstantis agnitionem eadem Episcopalis Mensa Juri alienationem hanc ob solennitatis defectum revocandi renuntiaverit.

Pp 2

10. Evin-



IO.

10. Evincere quidem dicta Mensa contendit Caducitatem istius Feudi ob neglectam renovationem Investituræ. Sed in primis Detentor Præposituræ, & Monasterii A catholicus Anno 1614. Feudum hoc agnovit, & Laudemium præstitit. Deinde factum Detentoris violenti Monasterio innocenti & tum temporis Defensore destituito obesse non potest, ut proinde adhuc salva sint ipsi Jura sua, neque ullo ex capite auferri ista eidem possint. Atque hinc cum periculosa sit Mensæ Episcopalis in Causa præsentis alea, si Litem ulterius vellet persequi, cum Abbas certam in Revisorio Viennæ, imò & Romæ in Causa proprietatis sibi promittat victoriam,

II.

11. Tentanda videtur amicabile Compositio, quæ duplex offertur, una, ut Præpositura Mensæ Episcopali relinquatur, cum obligatione tamen præstandi Canonis annui in ære, & grano, qui tantus sit, ut proventus, qui alias à Monasterio ex Præpositura hac sperari possent, adæquet: altera, ut Mensa Episcopalis præter Decimas reliquas, & alia emolumenta, etiam fruatur deinceps in quartum quemlibet annum Decimis Frickianis, quibus antehac Monasterium solum gaudebat, ea tamen adjecta conditione, ut Mensa prædicta renuntiet Juri Directo, & à Qualitate Feudalitatæ easdem liberet. Primum Compositionis modum Monasterium Reichenbacense reiicit, ex causa, quòd in ejus potestate non sit, Bona Foundationis contra Serenissimorum Fundatorum, qui talia attentantes severissimis execrationibus feriunt, mentem tam Sacræ Sedis, quam Imperatoris, Ducumq; Territorii Dominorum autoritate confirmatam alienare, & à Monasterio separare. Hinc idem Abbas secundum Compositionis modum proponit, qui etiam ex eo capite arripiendus videtur, quia

12.

12. Non videtur in Excelso Consilio Imperiali Aulico attendenda Exceptio Fori declinatoria, à Serenissimo Augustano hæcenus opposita, cum ipse Henricus Episcopus autoritatem quoad hoc punctum in Imperatore sufficientem agnoverit, dum, postquam à Sacra Sede Incorporationem perpetuam impetrare non potuit, ad Ferdinandum II. Imperatorem sese convertit, & Viennæ per Ablegatum suum Dominum Grenzing Præposituram controversam 7. Jan. 1627. sub datis de dato eodem Reversalibus obtinuit. Et merito quidem à S. C. Majestate petita hæc gratia est; nam

13.

13. Absque Clementissimo ejusdem, tanquam supremi Ecclesiæ, & Fidei Catholicæ Protectoris Consensu de hujusmodi Bonis Ecclesiasticis disponi nil potest, ut adeò Excelsum Consilium Imperiale Aulicum nunquam concessurum sit potestatem istam de his Bonis in Possessorio cognoscendi in controversiam trahi: & proinde dubitari nequeat, quòd, ut certis nuntiis compertum

sibi ajunt, idem Consilium Aulicum in Revisorio Sententiam suam, pro Monasterio emanatam, confirmaturum sit. Quæ spes etiam ex eo roboratur; quia

14. Fundamenta Monasterii Reichenbacensis omnino conformia sunt Juri Canonico, ita, ut Bulla Urbani VIII. utpote quæ, uti dictum est, merito pro Sub-vel Obreptitia haberi potest, adversus illa difficulter prævalitura sit, atque adeò Processus quidem protrahi ad aliquod tempus possit, timendum sit tamen, ne Monasterium tandem obtineat, & Mensa Episcopalis ad expensas Litis, & refusionem fructuum perceptorum condemnetur, cui malo mederi nunc potest amicabile Compositio, ubi Spes est idem Monasterium induci posse ad renuntiandum fructibus perceptis, & ipsis etiam Decimis Frickianis pro quarto quolibet anno. Et hoc præcipue, quia

15. Responsum Canonicum, in favorem Mensæ Episcopalis Augustanæ datum, laborat falso supposito, & Author ipsius extra Chorum cantat, & sic per seipsum absque alia refutatione labitur.

### Responsio ad Momenta opposita.

Hæc sunt Fundamenta, quæ nuperrime justissimæ Serenissimi Episcopi Augustani causæ opposita sunt, talia tamen, ut nihil omnino novi afferant, neque alia momenta ponant, quam ad quæ in Responso Canonico jam abundè responsum est: quod ostenditur respondendo ad singula Argumenta ex iis ipsis, quæ antè in eodem Responso probata sunt, cujus etiam formales termini plerumque allegato Num. ex quo desumpti sunt, adducuntur.

Ad 1. Verum est, Celsissimum Episcopum Henricum se obligasse, datis Reversalibus, ad Præposituram Stainheimensem restituendam, si Monasterium Reichenbacense iterum à Religiosis Personis incoleretur. Quia tamen per has Reversales minimè se obligare voluit ad non petendam in futurum à Pontifice Incorporationem perpetuam, cum actus agentium non operentur ultra intentionem illorum, obligatio, ex his Reversalibus nata, intelligenda est, rebus sic stantibus, juxta dicta in cit. Responso Canonico Num. 24. consequenter mutato eo statu, obligatio ista cessavit. Fuit autem notoriè mutatus Status Causæ præsentis per Bullam Urbani VIII. quippe per quam Mensa Episcopalis non amplius ex Concessione Cæsareæ, sed ex Incorporatione Pontificia, eaque perpetua (quam facere Pontifex ex summa, & universali, eaque plenissima administratione, quam circa Bona Ecclesiastica habet, absque dubio potest) Præposituram Quæstionis possidet. Num. 13. in Resp. ad 4.

Ad 2.

18.

Ad 2. Merito dici potest, quod non tantum Decimæ Frickianæ, sed etiam reliquæ qualitatem Feudalem olim habuerint; nam imprimis in Repertorio Actorum in Rubro, vel dorso Documentorum sub qualitate Feudali notatur etiam der Berg-Zehend. Deinde has, & illas etiam, quæ majores, der Groß-Zehend appellantur, cum reliquis Præposituræ proventibus in quartum quemlibet annum ab antiquissimis temporibus semper Episcopus Augustanus collegit, in signum utique accepti Beneficii, seu Feudi. Cui accedunt plures aliæ Præsumptiones Num. 47. enarratæ, quæ in factis antiquis, ubi propterea difficilis est probatio, plurimum valent. Denique esto, cæteræ, & præsertim Majores Decimæ, der Groß-Zehend, Feudales non fuerint, tamen ut crederentur, feudales esse, merito inducere poterat, quod istæ cum Frickianis adeo confusæ sint, ut discerni à se invicem non amplius possint. Ubi si error contigit, obesse non potest; nam Rescriptum ordinariè solet conformari Supplicationi. In Supplicatione autem petita sunt in perpetuum Decimæ, & alii Proventus Præposituræ Num. 48. & quidem universi; petiti enim sunt, prout hæcenus possidebantur à Mensa Episcopali, scilicet temporaliter per Concessionem Imperatoriam. Per hanc autem possidebantur omnes omnino redditus, prout patet ex Decreto Cæsareo emanato 7. Jan. 1627. ibi: *Obberühre zwey Höf zu Stainheim mit aller ihrer Ein- und Zugehör, und den völli-gen Zehend daselbst samt allen und jeden Nütungen* // so von ermeldter Probstei Stainheim errentes Closter zu Reichenbach gehabt. Num. 64. Unde non obstat, quod memoratum Breve Apostolicum nullam faciat mentionem Incorporationis perpetuæ; quia de perpetua intelligendam illam esse ostendit Supplicatio, ut adeo contrariæ interpretationi locus non sit: & si esset, interpretatio fieri à Pontifice deberet; sicut enim, ut vult Dominus Actor, Indulta, & Concessionis Cæsareæ ab alio Foro interpretari non debent, vel possunt, quam apud Cæsaream Majestatem; ita neque à Judicio Imperiali Aulico interpretari possunt Indulta, & Bullæ Pontificiæ, ac multo minus illæ tolli, cassari, & annullari. Num. 24.

19.

Ad 3. Si nihil aliud, quam quod antehac ad Mensam Episcopalem spectabat, obtinere voluisset Celsissimus à Pontifice, Confirmatione istius Juris non indigebat, quippe cum Jura Mensæ antiqua ad Feudum Frickianum ratione Domini directi, & ad cæteros proventus pro quarto quovis anno à nemine fuerint unquam oppugnata, & juxta vetus Juris adagium id, quod meum est, amplius meum fieri non possit. Deinde quid opus erat tot Intercessionibus Electoris Bavaricæ, & ipsius Augustissimi Imperatoris, si nihil novum per Bullam concessum, & antiqua solum Jura sunt confirmata? Scivit Augu-

stissimus suam Concessionem modificatam, scivit etiam Reversales Celsissimi Henrici, scivit Elector Bavaricæ, vel scire potuit, & tamen interposuerunt ambo preces suas; igitur præter illud, quod jam antea habebat Episcopus Augustanus, & quod in controversiam non adducebatur, voluerunt impetrare aliquid majus. Principium illud, quod Confirmatio nihil novi indulgeat, verum est, quando Confirmatio fit in forma communi: secus, quando in forma speciali; tunc enim æquivalet novæ Concessioni. Talis autem Confirmatio facta est in præsentem, ubi antiquis Juribus adjecta est Incorporatio perpetua. Et pro hac Sanctissimo in favorem Celsissimi Augustani supplicavit Serenissimus Maximilianus Elector Bavaricæ, quod verba Supplicationis manifestè indicant. Formalia: *Il medesimo Electore supplica humilmente la Santità Vostra à degnarse con un Breve particolare di confermar al stesso Vescovo per la sua Mensa Episcopale le sopra dette Decime, & proventi, con dichiarazione anco, quatenus opus sit, di nova concessione.* Concordat Memoriale aliud Sanctissimo oblatum ab eodem Serenissimo, ubi petitum est, ut Mensa Episcopalis his redditibus posthac quietè, absque litis motu, æternum frui, ac possidere possit. Cum ergo Rescripta semper conformari Supplicationi soleant, Concessio præfens non erit confirmatio tantum Juris antiqui, aut illius, quod temporaliter per Augustissimum concessum fuit, sed mens fuit Pontificis perpetuò concedere, & incorporare proventus istos. Quod confirmatur ex Bulla, quæ erat concipienda in favorem Collegii Ambergensis, ubi Præpositura Quæstionis, tanquam antè jam in perpetuum concessa Ecclesiæ Augustanæ, ab Incorporatione Collegio huic faciendâ ex petitione Serenissimi Electoris, & consensu Summi Pontificis expressè excipiendâ erat. Num. 59. 63. & 64.

20.

Ad 4. Ex Bulla Pontificia aperte constat, quod à Pontifice concessa sit non tantum pars aliqua Decimarum Stainheimensium, sed omnes Proventus, & emolumenta, quæ ratione Præposituræ ad Monasterium Reichenbacense pertinuerant; id enim aperte conveniunt verba eidem Bullæ inserta, ibi: *suprà dictis Decimarum partibus, unâ cum aliis emolumentis* // eidem Mensæ Episcopali plenissime suffragari. Ubi specialiter notanda verba *Decimarum partibus*; proposuit enim Sanctissimo in Supplicatione sua Celsissimus Henricus, quod tres partes Decimarum, seu Decimæ ipsæ tribus annis percipi solitæ sint antehac à Monasterio Reichenbacensi, & pro his cum reliquis emolumentis supplicavit, & Supplicationi huic se annuisse ostendit Pontifex, tribuendo Mensæ Episcopali etiam has partes cum cæteris proventibus. Atque hinc Bulla ista comprehendet omnes proventus Præposituræ; nempe præter Decimas duas Villas, census, & reliqua cum

ipso Jure Patronatus. *Num. 61.* Neque obesse debet allegata in Supplicatione exiguitas Proventuum; imprimis enim ex Rationibus Augustanis concludenter probabitur, non esse tam opulentam hanc Præposituram, saltem prout defacto ab Ecclesia Augustana possidetur, quam opulentam sibi imaginantur Adversarii. Deinde allegata exiguitas non debet trahi ad Decimas, sed ad reliquos proventus distinctos à Decimis; nam in Supplicatione habetur: *Decime Feudali della sua Mensa Episcopale, & di più ancora alcuni proventi di poca somma, annessi, è dipendenti da detta Præpositura*: cui concordat ipsa Bulla Urbani VIII. *Formalia: Super dictis partibus Decimarum; unà cum aliis emolumentis valde exiguis &c. N. 49.*

21.

Ad 5. Ob-vel Subreptionis Vitium imprimis sufficienter purgatur 1. Ob exuberantiam bonæ fidei, quâ Celsissimus Henricus in hoc passu processit. 2. Ex cessione decennialis perceptionis fructuum totius Monasterii Reichenbacensis, eâ conditione factâ, ut impetraretur hæc Incorporatio perpetua, apud Serenissimum Electorem Bavariæ Maximilianum I. sollicitata. 3. Ex fidelitate in proponendo statu rei sollicitatæ. 4. Ex modo impetrandi Incorporationem istam, adhibitis instantissimis precibus, & interpositâ etiam iteratâ intercessione Serenissimi Bavariæ Electoris. 5. Quia Præpositura hæc, tanquam jam antè in perpetuum concessa Mensæ Episcopali Augustanæ, expressè erat excipienda in Bulla Incorporationis, in favorem Collegii Ambergensis faciendæ. 6. Quia Serenissimus Elector Ferdinandus Maria, & Nuntius Apostolicus Viennensis, dum Restitutionem Præposituræ hujus urgebant, data informatione, acquieverunt, neque unquam postea Mensæ Episcopali usque ad ultima hæc tempora Lis mota est. *Num. 51.* Deinde si Bulla ista Ob-vel Subreptionis vitio laboraret, contra hoc Vitium intendi deberet Remedium Nullitatis, quod intra 30. annos deduci debet. Lapsi autem à Data Brevis controversi non tantum sunt anni 30. sed ferè nonaginta. Consequenter videtur Remedium hoc esse extinctum, sicque non amplius de Nullitate ob Vitium Sub-vel Obreptionis agi posse. *Num. 36.* Imò ex tanti temporis lapsu, quo ex Ob-vel Subreptionis vitio impugnata non est, merito dici potest, quòd ipsum Jus ad Reditus Præposituræ vi saltem Præscriptionis sit acquisitum; nam Bulla ista, esto, Sub-vel Obreptitia fuisset, cum tamen Vitium istud non sit, nec fuerit liquidum, saltem præbuit Titulum coloratum, cui cum accesserit Possessio ferè centenaria, & hæc nunquam interrupta (nam interpellatio illa, ab Abbate S. Emerami facta, postquam Informationi de Incorporatione Apostolica acquievit, Possessionem non interrupit) Præscriptio ista intra hoc tempus ferè centenarium videtur esse com-

pleta. Est autem Juris explorati, quòd Præscriptio dominium rei bona fide per tempus legitimum, & ex titulo colorato, vel existimato possessæ transferat in possidentem. Ergo &c. Denique nulla ratione probari potest, quòd Breve hoc sit Ob-vel Subreptitium; nam in Supplicatione assignatæ sunt duæ causæ, una Feudalitatæ, altera meritorum, & necessitatæ Ecclesiæ Augustanæ. Quando autem duæ allegantur causæ, sufficit unam subsistere; nam hæc in omnibus Rescriptis Gratiolis censenda est potius impulsiva, igitur etsi non subsisteret prima causa Feudalitatæ quoad univèrsas Decimas, cum tamen subsistat causa meritum, Rescriptum Sub-vel Obreptitium nequaquam erit. *Num. 48.*

Ad 6. Id Celsissimus Henricus petiit obtinere per Incorporationem perpetuam à Pontifice, quod antea per Concessionem, & beneficium Imperatoris Ferdinandi II. possederat temporaliter, & ad tempus per eventum conditionis adjectæ, scilicet restituti Monasterii Reichenbacensis finiendum. Certum autem est, quòd sub ista conditione Reditus omnes Præposituræ acquiserit ab Imperatore, & acquisitos possederit. Igitur verum est, allegatam Possessionem Redituum omnium, saltem temporalem, penes Mensam Episcopalem fuisse. Et esto, Supplicationis verba, Possessionem asserentia, intelligenda sint de Possessione Jure perpetuo, hoc Jure Ecclesia Augustana verè possedit Decimas Quæstionis, & alios proventus; nam Frickianas Decimas saltem possedit Jure Domini directi, reliquas Decimas verò, & proventus Jure quarti anni, adeoque saltem simul cum Monasterio Reichenbacensi. Verè autem possidet, qui cum alio possidet, quamvis non Jure pleno, quod Celsissimus memoratus in Supplicatione sua nunquam asseruit. *Num. 50.* Cæterum quòd non tantum pro quarto anno, sed in perpetuum, & cum exclusione cujusunque alterius Jus habentis, vel habituri petita sit confirmatio perpetua Possessionis, patet tum ex eo, quòd super Jure quarto quovis anno percipiendæ proventus Præposituræ nunquam mota sit, nec etiamnum moveatur Mensæ Episcopali Quæstio, adeoque necessarium non fuerit præsertim sub allegatione meritum, & interpositione tantarum Intercessionum confirmationem Juris istius petere; tum verò elucet hoc ipsum ex verbis Supplicationis, quæ super omnibus Decimis, aliisque emolumentis, quæ antea percipiébantur à Monasterio Reichenbacensi, formata est, & hos omnes proventus pro Mensa Episcopali Augustana apud Pontificem petiit Elector Maximilianus, eosque, licet ad certos annos ex Concessione Pontificia potuerit frui Redibus Ecclesiasticis in Palatinatu, volebat idem Elector Mensæ prædictæ cedere; nam ita expressè Memoriale oblatum Sanctissimo. For-

Formalia : *Si e contentato di lasciare al Medesimo Vescovo tutti li frutti di detta Prapostura. Num. 60.*

23. Ad 7. Præsumptio à toto ad partem non tenet, sicut nec Argumentatio : *Totum non voluit dare Pontifex, ergo nec partem.* Quia major ratio potest esse pro toto non dando, quæ pro neganda parte non sufficit. Deinde ex hoc, quod Pontifex noluerit Mensæ Episcopali Augustanæ incorporare totum Monasterium, nihil præsumitur in favorem Domini Abbatis; mens enim Pontificis, dum Incorporationem perpetuam negavit Mensæ Episcopali, non fuit, ut illud conservaretur semper pro Ordine S. Benedicti, & pro hujus Religiosis, quippe quod idem Pontifex jam concesserat incorporari posse Collegio Ambergensi Societatis JESU. Denique constat, quod nomine prædicti Collegii R. P. Gualterus Mundbrott Societatis JESU per Germaniam Superiorem Præpositus Provincialis in favorem Celsissimi Henrici, & Mensæ Episcopalis renuntiaverit Juri Præposituræ Stainheimensis, nec dubitandum erat huic Renuntiationi approbationem fuisse daturum Pontificem, nisi pro Reichenbacensi Monasterio eidem Collegio fuisset dein assignatum Monasterium Castellense. Consequenter probari non potest, quod absolute idem Pontifex noluerit quidquam ex Redibus, & Juribus Monasterii Reichenbacensis decerpi, & dari alteri, cum aliunde constet, quod clausula excipiens Præposituræ Stainheimensis fuerit inferenda Bullæ Incorporationis in favorem Collegii Ambergensis decretæ. *Vid. Num. 43.*

24. Ad 8. Quod perpetua Concessio Pontificia fuerit, patet ex eo, quia pro perpetua Incorporatione fuit supplicatum ibi, *Episcopus prædictus humillime supplicat Sanctitati Vestre, quatenus dignetur benignissime per Apostolicum Breve confirmare, ut --- Jure omnium prædictarum Decimarum, & proventuum cæterorum, in quorum exigendi, & percipiendi possessione existit, etiam posthac quiete, absque Litis motu, aeternum frui possit. N. 64.* Hoc autem intelligi nequit tantum de Dominio directo Decimarum Frickianarum, & de Jure quarto quovis anno percipiendi cæteras; quia de his Juribus nulla timebatur Lis, cum Jura illa essent certa, & ab adversa Parte etiam nunc in controversiam non deducta. Ergo petebatur aliquid, circa quod Lis moveri poterat. Lis autem post Concessionem Imperatoriam, per quam Mensa Episcopalis Augustana posita est in Possessione omnium proventuum, tantum poterat moveri circa Dominium utile, & circa Jus percipiendi Decimas, & alios proventus etiam reliquis tribus annis; nam hoc Jus per Concessionem Imperatoriam duntaxat limitatum fuit ad tempus restituti Monasterii. Ergo de hoc Jure petebatur gratia; alias nulla fuisset concessa gratia, utpotè tantum pro objecto habens debitum, & qui-

dem absque ulla controversia. Est autem certa Canonistarum sententia, quod Rescripti Gratosi verba etiam improprianda sint, si Rescriptum in sensu stricto intellectum nullum haberet effectum.

25. Ad 9. Etsi illud, quod in Supplicatione additum est, Decimas illas, & Proventus olim pertinuisse ad Ecclesiam Augustanam, concessas deinde Laicis Personis, postea alienatas per inadvertentiam, & adjectas Monasterio Reichenbacensi, absque debitis solennitatibus, jam concludenter probari nequeat, tamen fortè tunc temporis res erat nota, & hoc præsumi potest non immeritò ex summa integritate supplicantis Celsissimi Num. 51. Et esto, in hoc erraverit Celsissimus supplicans, tamen erroris istius probabilem, justamque præbuit occasionem tum Rubrica, in qua *der Berg-Zehnd* inter Feudales refertur, tum Confusio Decimarum Majorum, *Gross-Zehnd* cum Frickianis, *dem Fricken-Zehnd*: cui accedit, quod videri nequeat, ex qua causa ab antiquo Majores Decimæ cum aliis Proventibus, quarto quolibet anno pertinuerint ad Mensam Episcopalem, nisi in recognitionem Feudi, cujus qualitate jam olim affectæ erant. Deniq; ad tollendum vitium Sub- & Obreptionis sufficit unam causam ex allegatis impulsivam subsistere. Subsistit autem una, scilicet causa meritorum, ut est ostensum. Ergo &c.

26. Ad 10. Caducitas Feudi petitur præcipue ex crimine Feloniæ, quod ultimus possessor A Catholicus Camerarius partibus Frederici Palatini adhærendo incurrit. Deinde licet hoc crimen innocenti Monasterio Reichenbacensi nocere non potuerit, tamen potuit esse causa eo tempore, quo Monasterium Incolis Religiosis destitutum erat, petendi Gratiæ Pontificiæ, qualem complures alii sub ea tempora impetrarunt, quin Gratiæ illæ Pontificiæ in controversiam trahi possint. Atque hinc Serenissimis, & Celsissimis Episcopis Augustanis nunquam in mentem venit, ut ex capite Caducitatis perpetuum Jus in proventus Stainheimenses arrogare sibi vellent; sed Feloniæ criminis obtentu primum usi sunt ad impetrandam primum Concessionem Imperatoris temporaneam, quam deinde per obtentionem Brevis Apostolici mutarunt in perpetuam.

27. Ad 11. Neutra Compositio videtur acceptari posse. Primam Monasterium Reichenbacense ipsismet reiiicit, quod abdicare se Dominio Decimarum Quæstionis, & proventuum cæterorum nequeat, quod in hoc modo Compositionis proponitur. Majorem rationem Compositionem istam non ineundi habet Serenissimus Augustanus, quippe qui hoc modo Colonis tantum fieret Monasterii Reichenbacensis, vel saltem Censuarius, ea tamen conditione, ut pro opera in Decimas, & alios proventus locata vix quidquam responderet mercedis, cum vi hujus

hujus Compositionis omnes fructus, quos Monasterium sperare potest ex Præpositura controversa, sub nomine Canonis annui reddendi essent Monasterio. Taceo, quod cum diversa singulis ferè annis sit fructuum quantitas, hoc modo perpetuis Litibus daretur ansa, dum pars una plus vellet recipere, altera ex diversitate ubertatis minus reddere. Accedit, quod hoc modo intercederet omnis gratia, & beneficium Pontificium per Breve datum. Alter Compositionis modus æquè parum proficiuus est Mensæ Episcopali; nam imprimis vi illius deberet renuntiare Dominio directo Decimarum Fricliaruarum, & ab iis tollere qualitatem Feudalitatís, quod æquè parum Mensæ Episcopalis absque solennitatibus potest, quam parum potest Dominium, & Jus proprietatis directum Proventuum Stainheimensium Episcopali Mensæ relinquere Monasterium. Si ergo propter hanc causam primus Compositionis modus rejicitur à Monasterio, ob eam à Mensæ Episcopali rejici debet secundus.

28.

Ad 12. Celsissimus Henricus ab Imperatore Ferdinando II. petiit, quod iste eidem dare potuit, nempe temporalem saltem perceptionem fructuum Stainheimensium, quos ipse Imperator vi Indulti universalis extendentis se ad percipiendos Reditus Ecclesiasticos Palatinatus percipere potuit. Postquam verò transiit tempus indultum à Pontifice, sicut perceptio reddituum illorum desit, ita desit potestas de iis disponendi, præsertim postquam mutata est possessionis causa, & Mensæ Episcopalis non jam ex Concessione Imperatoria, sed Pontificia Reditus illos percipit.

29.

Ad 13. Aliud speratur à summa æquitate Excellsi Consilii Imperialis Aulici, quam ut timenda sit Confirmatio primæ Sententiæ, postquam ad oculum demonstrata est Justitia Causæ, quam Mensæ Episcopalis Augustana fovet. Bulla Pontificia, quæ nititur Mensæ Episcopalis, edita est, postquam Palatinatus Superior jam translatus fuit Jure perpetuo in Serenissimum Electorem Bavarum: unde non amplius ad Imp. sed ad Electorem Bavarie, tanquam omnium Ecclesiarum sui territorii Advocatum, pertinebat dare Incorporationi Consensum. Hoc autem Consensu non amplius fuit opus; quia ipsemet de Incorporatione satis scivit, imò author ipsius principalis, interpositis ad Aulam Pontificiam Intercessionalibus, fuit. Num. 58. Imperator quidem est supremus Ecclesiæ, & Fidei Catholicæ Protector, per hoc tamen nemo Catholicorum Ipsi adstruit Judicaturam in Personas, & Causas Ecclesiasticas. In præsentí Casu tam persona conventa, quam ipsa Causa, utpote in qua Possessorium à Petitorio separari nequit, Ecclesiastica est: consequenter Judici cuicumque Laico cognitio non potest competere. Num. 11. Accedit, quia etsi concederetur Causam

agi in solo Possessorio, & sic ventilari posse apud Judicem Laicum, tamen Persona Rei conventi Judicem Ecclesiasticum peteret, quippe qui Clericus est; consequenter prorogare in se Jurisdictionem Judicis aliás incompetentis non potest. Vid. Num. 15.

Ad 14. Non apparet, quod conformia Juri Canonico sint Fundamenta Reichenbacensis Monasterii. Nam 1. Trahit ad Forum Laicale Personam Ecclesiasticam, quæ utroque Jure contra hoc Forum Exceptionem Incompetentiæ habet, & ita quidem, ut ne sponte quidem, prout modò dictum est, subjicere se Judici Laico possit. 2. Aperte ostenditur, quod in hac Causa Possessorium misceatur cum Petitorio: quod si fiat, iterum ex utriusque Juris effatis, cognoscere Judex Laicus nequit. 3. In hac Causa agitur de Interpretatione Literarum Apostolicarum, utpote quarum sensu non cognito, decidi Controversia nequit. Interpretatio autem Literarum Apostolicarum, præsertim quando vertitur Quæstio, an Ob-vel Subreptitiæ illæ sint, ex certa Canonistarum Sententiâ, non refragante Jure Civili, ad solum Pontificem pertinet. 4. Recepta Regula est, quod Rescripta Supplicationi in dubio conformanda, & in casu, quo effectum in sensu obvio intellecta non haberent, verba illorum potius impropria sint. At verò, ut vult Monasterium Reichenbacense, Breve Apostolicum deviat à Supplicatione, neque concedit gratiam, sed confirmat Jus antiquum, quod etiam Parte adversa teste, absque controversa Mensæ Episcopali semper competiit, & adhuc competit. 5. Abbas Reichenbacensis petit executionem Sententiæ in favorem Monasterii sui late, etiam post admissam Revisionem, & sportulas solutas, cum tamen Revisio in Causis Ecclesiasticis ex novissimo Recepto Imperii aperte Effectum Suspensivum habeat. 6. Monitorium à Camera Apostolica emanatum, quod idem Abbas ab inquietatione, Monasterii nomine contra Mensam Episcopalem facta, desistere, & Romæ Causam suam proponere jubetur, adeò propudiosè rejectum est, quæ tamen Rescripta SS. Canones cum omni veneratione recipi jubent.

Ad 15. Si adeò parum, ut Pars adversa contendit, fundata sunt ea, quæ ad Speciem Facti germanicam, & huic subiectum Responsum Canonicum dicuntur, non est ratio, quare ex causa, quod in his multa nova afferantur, pro horum rejectione memoratus Dominus Abbas apud Excellsum Consilium Imperiale Aulicum Instantiam faciat; nam ut nova sint, si tamen falso supposito nixa, & extra Chororum cantata, nihil Parti adversæ officient, neque in hoc necesse erit accurare Officium Consulissimorum Judicum, qui ipsi pro sublîmi sua Juris scientia noverint pertinentia discernere à non pertinentibus, neque de hoc moneri debent à Partibus.

32.

Ego potius sic discuro. 1. Constat de immensis sumptibus plusquam undecies centenorum millium florenorum à Celsissimo Henrico Episcopo Augustano in defensionem Rei Catholicæ expensis. 2. Constat, quòd merita hæc agnoverit Summus Pontifex Urbanus VIII. 3. Constat, quòd sapius promiserit ita depauperata Ecclesiæ Augustanæ omni modo succurrere. 4. Constat, quòd pro medio succurrendi Serenissimus Elector Bavarus iteratis Intercessionibus à Pontifice petierit Incorporationem perpetuam Præposituræ Stainheimensis. 5. Constat, quòd ad has Intercessionibus, & preces à Celsissimo Henrico junctas secutum sit Breve Apostolicum. 6. Constat, quòd omnes istæ preces, & intercessionibus effectu omni careant, si per memoratum Breve tantum fuisset confirmatum Jus quarto quolibet anno percipiendi Præposituræ prædictæ Reditus, quippe quod jam ante absque controversia Mensæ Episcopali composuit. Ex quo 7. Constat, ex his præmissis pessimam duci consequentiam. *Meritis est Celsissimus Henricus omni modo juvari, hoc petit Serenissimus Elector Bavarus, promissit Sanctissimus, & eum in sinem Breve dedit concedendo fruitionem Redituum Præposituræ Stainheimensis, cujus Brevis intuitu Præpositura ista, ejusque proventus expressè debebant excipi in Bulla de Incorporatione Monasterii Reichenbacensis in favorem Collegii Ambergensis concipienda.* Ergo per Bullam Pontificiam impetratam nihil novi concessum est, sed tantum confirmatum Jus antea indubitatum. Nam hoc modo cessat omnis remuneratio, frustra interpositæ sunt preces, & Intercessionibus, Breve ipsum nullum habet effectum, neque opus erat Clausulâ excipiente, quippe cum salva mansissent Jura Monasterii, non obstante Breve Apostolico. Sed potius inferri debet: ergo pro mercede, & solatio suo impetravit novam gratiam, quæ alia esse non potest, nisi Incorporatio perpetua. Porro petiit quidem Pars adverla, ut in Judicio Revisorio varia Libello Aulæ Augustanæ adjecta ab Actis rejiciantur: petito tamen huic non esse deferendum, evincere videntur sequentes rationes. Nam

33.

1. Verum est quidem, quòd ex vi Ordin. Cam. p. 3. tit. 53. §. 3. *Erstlich soll ic.* nihil novi, nec Documenta nova produci in Revisione possint, videtur tamen ab hac Regula excipiendus Casus, quo sine novis Documentis justa sententia à Judice pronuntari nequit. Mensæ Episcopalis Augustana à Reverendissimo Domino Abbate Reichenbacensi conventa apud Judicium Imperiale Aulicum est ex Reverfalibus à Celsissimo Henrico Episcopo datis, quibus iste se obligavit ad restituendam Præposituram Stainheimensem in casum, quo Monasterium Reichenbacense, pristino statui restitutum, iterum à Religiosis incoleretur. *Quæ R. P. Schmalzgrueber Consil. Tom. I.*

stio in eo versatur, utrum post impetratum ab Urbano VIII. Breve, adhuc duret hæc obligatio, vel potius, Causâ Possessionis mutata, cessaverit. Cessavit illa, si per Breve memoratum sit facta Incorporatio perpetua. Unde sensus ejus Brevis est exquirendus. Istum explicant Supplicationes, & Memorialia tum à Celsissimo Episcopo Henrico, tum à Serenissimo Maximiliano Bavaricæ Electore interposita apud Sedem Apostolicam pro Incorporatione perpetua ejusdem Præposituræ. Igitur merito hæc producuntur etiam in Judicio Revisorio ad hoc, ut justa Sententia ferri possit.

34.

2. Non videtur in Judicio Revisorio prohiberi, ne producatur id, quod Judex ipse, licet à Parte productum non sit, ex Officio ad justam sententiam pronuntiandam potuisset, & debuisset procurare. Tales sunt probationes, quæ ex noviter adductis Documentis eruuntur: nam agitur Causa Ecclesiæ, quæ est Causa pia; in Causa pia autem uti & boni publici, & miserabilium personarum favorem juxta Brunnem.

*In l. un. C. ut quæ desunt Advocat. part. Jud. suppl.*

Judex ex Officio suo supplere potest, & debet etiam illa, quæ ad factum spectant, præsertim si aliâs, ut in præsentibus, Sententiam justam pronuntiare non possit. Ergo &c.

35.

3. Mensæ Episcopalis Augustana nunquam se intromisit, & quia Jurisdictionem Judicis Laici, præsertim in Causa Ecclesiastica, in se prorogare non potest, etiam intromittere se non potuit in Causam principalem, sed tantum contestata Litem est coram Judicio Imperiali Aulico in Causa præjudiciali, concernente Exceptionem Fori declinatoriam à se oppositam. Quando autem opponitur Exceptio Fori declinatoria ab eo, qui prorogare Jurisdictionem alienam in se non potest, ad hanc probandam proponi probationes possunt in quacunque parte Litis, imò post ipsam Sententiam, utpote quæ, tanquam à Judice incompetente lata, ipso Jure invalida est. Ad hanc autem probationem in præsentibus controversia, ubi Jurisdictionem suam Judicium Imperiale Aulicum fundat in Reverfalibus Episcopi Henrici, necesse est ostendere, mutatam esse causam Possessionis, & à Mensæ Episcopali Præposituram Stainheimensem non amplius possideri ex vi Concessionis Imperatoricæ, sed per Incorporationem perpetuam à Sancta Sede indultam, quò conferunt pleraque Documenta noviter adducta, igitur hæc produci ad dictam Exceptionem probandam nullum Jus prohibet.

36.

4. In Revisione adduci possunt omnia, sine quibus nec confirmari, nec reformari juste potest Sententia, contra quam petita Revisio est; tendit enim Revisio ad auferendum gravamen, quòd Pars per sententiam contra se latam se passam dicit: proin quæ ex Causa hac adducuntur, non nova, sed explicatio

plicatio duntaxat prius adductorum esse ceteri debent. Talia autem sunt, quæ noviter adducta sunt à Mensa Episcopali. Quod ostenditur; nam Pars adversa intentionem suam maxime fundat in Reverfalibus sæpè dictis, & juxta has restitutionem petit utpote conditione ibi posita jam impletâ, Mensa Episcopalis autem ad hanc intentionem & petitionem elidendam semper opponit Breve Urbani VIII. de quo Brevi cum Partes diversum intellectum habeant, & Mensa Episcopalis quidem contendat, per illud factam esse Incorporationem perpetuam, Abbas verò Reichenbacensis sustineat, nihil per eam novi concessum esse, sed tantum confirmatum Jus vetus, sententia, contra quam petita est Revisio, nec reformari, nec confirmari justè potest, nisi cognoscatur de sensu Brevis relati. Sensum hunc explicant Supplicationes, & Memorialia pro obtinenda Præpositura Stainheimensi Summo Pontifici proposita, cum Concessio gratiæ regulariter soleat conformari Supplicationi. Ergo &c.

37.

5. Quæ in Specificatione Documentorum rejiciendorum continentur, aut nova non sunt, aut alias à Jure, & Stylo Curiarum permitta. Nam 1. Species Facti eruitur ex hætenus actis, & actitatis, & tantum continet majorem Declarationem pro meliori informatione Illustrissimorum Judicum; Gravamina verò huic adjecta necessaria erant, quippe cum Revisio, sicut &

Appellatio, non concedatur, nisi ex Causa allegati, & probati gravaminis. 2. Responsum Juris Consultorum in omnibus Tribunalibus permittum est Actis addere, & offerre Judici: quòd verò Responsum præfens plura contineat, quæ merita Causæ concernunt, id ideo factum, ut etiam in Petitorio de his Judex instruere sese possit. 3. In retroactis sæpius facta est mentio de Feudalitate Decimarum, & hanc Pars adversa fatetur in Decimis Frickianis: Conf. Documenta Num. 3. 4. & 5. rejecta novi nil continent. 4. Fatetur Dominus Abbas, nec controvertit Ecclesiæ Augustanæ Jus quarto quovis anno percipiendi partes aliquas Decimarum: hoc confirmat Copia Num. 7. posita. 5. Exploratum est ex Actis, quòd Henricus Episcopus, adhibitis Intercessionalibus Imperatoris, & Electoris tum Moguntini, tum Bavari petierit Incorporationem primò totius Monasterii, & cum perpetuam impetrare non posset: ad decennalem autem fructuonem, à Pontifice concessam pervenire nequiret, supplicaverit pro Incorporatione perpetua Præposituræ Stainheimensis: quod docent Documenta rejecta Num. 8. usque ad 20. exclusivè. 6. Sex reliquæ Copiæ ostendunt, quid, & quantum concessum sit à Pontifice per Breve à se datum, quod rescire omnino necessarium est Judici volenti justam proferre Sententiam.



## CONSILIUM XXXVII.

In Causa von einem Gotts-Hauß / und Closter F. suchender / von einem Hochfürstl. Rent-Umbt D. aber widersprochener nideren Jurisdiction über ihre Unterthanen zu Ep.

## SUMMARIUM.

- |   |  |
|---|--|
| 1. & seqq. Facti Species.   | 22. Hac antiquitus convenerunt Monasteria privativè.                             |
| 7. Ex qua eruuntur tres Quaestiones.  | 23. Nemo potest plus Juris transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur. |
| 8. seqq. Rationes negantes Monasterio Jurisdictionem.   | 24. Neque Juri tertii per transactiones acquisito potest præjudicari.            |
| 17. Effectus & indicium Jurisdictionis bassa est Jus Protocolli & sigillandi quoad actiones etiam personales. | 25. Præsertim si opponatur Proestatio.   |
| 18. Item Jus Taberna:   | 26. Monasterium semper mansit in Possessione sui Juris:                          |
| 19. Et Operarum:  | 27. Adeoque nulla præscriptio contra illud prætendi potest.                      |
| 20. Constitutio etiam Judicis Pedanei, & Jus multarum:  | 28. seqq. Respondetur ad Argumenta opposita.                                     |
| 21. Uti & Jus exigendi homagii.   |  |

FACTI